















MATA

Æ,



MAT

IÆ,



PROGYMNASMATA ALCHEMIÆ,

Siue

PROBLEMATA CHYMICA,

Nonaginta & vna Quæstionibus dilucidata:

CVM LAPIDIS PHILOSOPHICI VERA CONFICIENDI RATIONE:

Auctore

MARTINO RVLANDO Phil. & Medic. D.

M.  *DCVII.*

FRANCOFVRTI, E Collegio Musarum PALTHENIANO.





ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO DN. ANDREÆ HANNEVVALD AB Eckersdorff, Iglingen, Superioris Tſchirnizii & Dansdoffii &c. Cæſareæ Maieſtatis a Conſiliis intimis Imperialibus, Domino atque Patrono ſuo ſubmiſſe & officioſe honorando.

S. D.



Mbroſius Camald. ord. pro Dionyſio Areop. pro Alchemia; condolendum eſt, inquit, pleriſq; miſeris, qui propter ſuam ignorantiam, acerbos ſe aliorum iudices atq; cenſores præbent, quiq; acuta ceterorum inuenta, prout ignorantia ſua dictat acerbe carpentes, cũ legunt, quæ non intelligunt, ſcriptorem ſtatim condemnant, neque eos pudet, quod nec redarguere, nec emendare poſſunt, quæ putant male ſcripta. In ſeipſos igitur iram conuertant ſuam, ſibique ipſis acer-

[..]i sint, qui per negligentiam altiora addiscere nequiuerunt, quique a doctioribus petere dedignati in dubiis suis contabuerunt. Quo excellentior ars, eo pauciores habet cultores, plures contemtores. Vtrunque ob sui altitudinem non cuiuis conscendendum. Plato nullam omnium artium Astrologia præclariorem censuisse videtur, cum datos hominibus oculos huius artis potissimum caussa dixerit: Idem videlicet intelligens, quod D. Paulus scripsit, ad Dei cognitionem ex operis pulcerrimi contemplatione, mentes hominum cœlum intuentes, tanquam compendiaria quadam via peruenire. At quis immensi inaccessique huius cœli, Astrologorum subiecti, naturam penetraliaque omnia intime perspecta habere sibi persuadere ausit? Ea quæ terris serpunt, manibus tractantur, & pedibus calcantur, adeo nobis, quoad suam naturalem compositionem, atque essentiam explorata fuere Philosophis sapientissimis, vt plurimum dubii, falsique reli-

querint, etiam in iis, quæ accessu cognituque faciliora erant; omnia pene naturalia, infima, summaque imperscrutabilia opinantes; & de quibus certi quippiam perscrutari videbantur, tamen a posteris experientia atque obseruatione solertiori edoctis aliter, multum a veritatis scopo & natura rerum aberrasse sunt habiti, per transennam res duntaxat aspicientes. Artem DEO omnis boni auctore elargiente clementer, quæ intima naturæ densissimis velaminibus inuoluta, ideoque plerisque Philosophantium minus acute videntium abstrusa, in apertum proferret reclusa, conspicuaque: ea non solum reliquis artibus ob naturam rerum reconditam minime absolutis, ingens perfectionis accessio adiungeretur: sed & DEI cognitio, si ex naturalium contemplatione Paulo teste, DEVS cognosci datur, exquisitior foret, & inde consequentia amor & pietas erga DEVM ardentior feruentiorque in corde viuentium suscitaretur.

De pastu animi suauissimo ex arte hac oriundo, usibus atq; commoditatibus in genus mortalium abundantissime effusis, dicam nihil, per se voluptuose fructuosissimeque perceptibilibus. Sed Alchemia ars huiusmodi est, quæ abstrusissimarum in natura rerum & essentias & virtutes non modo scrutatur, aperit, & in lucem conspectumque hominum, sublatis alienitatibus, hactenus ignorantiam & stultitiam misochymicis parientibus, protrahit: sed & ignobilia nobilitat, summisque ad humanam salutem viribus ex abscondito in apricum prolatis, denuo affabre exornat. Ars hæc omnium eminentissima exsplendescit, nulli secunda: Quia nulli datum intima naturæ & penitissime abdita eruere adeo concinne, & in usus humanos aliosq; multifariam proferre solerterq;. Si Paulo ratiocinari consentiente licebit, euidentior Dei notitia, ex huius artis Alchemiæ praxi hauriri potest, ipsis sacrarum literarum monumentis. Si enim ex operis pulcerrimi contemplatione rudi, essentialibus abditis excellentius ad notitiam Dei promouentibus,

bus, ad cognotionem Dei peruenire possumus; sique inuisibilia Dei e creatione Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius potentia & diuinitas: contemplatio autē illa mera sit κατοπτρικὴ & superficiaria, nō nisi tale emergit de Deo eiusque essentialibus iudicium, atque notitia rudis & superficiaria. Prius tam verum, quam S.S. literarum axiomata & veritate verior. Posterius ergo. Verum si qua ars velamenta ista pandit plaustraq; rerum, in quæ noster olim erat & etiamnum intuitus, ad cognoscendum Deū deducens, vt in reconditissimas rerū essentias & potentiam Dei & diuinitatem non καλυπτηρικῶς, sed dilucidissime, apertissime μεγάλου φωτὸς μικρὰ τὰ ἀπαυγάσματα conspicere liceat, quid non perfectioris notitiæ cognoscendi Dei, diuinorumq; exspectari inde posse, demonstratur? Nam si ex velaminum rebus naturalibus ad cognitionē Dei deducentibus (vt concisius dicam apertiusque) inductorum contemplatione, Paulo asseuerante, comparari potest ea, quæ deducat ad intelligibilium Dei cognitionē, Dei-

que, notio: Multo præstantior multoque nobilior capi poterit notitia, intima reconditaque naturæ rerum essentialia passis velis aspiciendo. At prior astruitur a Paulo. Ergo & posterior affirmanda. Diuina itaque ars & præ ceteris omnibus eo maiori honore amoreq; prosequenda, quo aliis longis parasangis anteit eminentior. Iure igitur optimo a sapientiorum familia accessita & exculta, & in amplexus & penetralia Magnatū adeo est constanter recepta, vt, quanque, sicut omnibus nobilioribus euenit scientiis, non defuerint impostores & falsarii, sceleribus suis fraudibusque eam contaminare studentes: tamen apud plerosque splendorem, amoremque sui & desiderium neutiquam perdiderit, sed firmiter cum dignitate pristina, locoq; obtinuerit.

In Principum & Regum vetustissimorum Aegyptiorum, Chaldæorum, Babyloniorum vlnis ars ista & inuenta est & exculta propagataque administris Philosophis Hermete, Zoroaste & reliquis, vnde adhuc inter artifices durat æris

Baby-

Babylonii & aliorum documentorum fama. Arabas nominem, Mauritanos, Hispanos, Abarinos & ceteros, qui Auicennæ, Geberi, Bulcasis & aliorum Philosophorum ingeniis scientiam Chymicam ad culmen excellentiæ perduxerunt. Nolo producere Indos, in quorum possessione ab antiqua memoria Chymica enchiremata fuisse, & adhuc esse Indicæ Gaziæ Historiæ contestantur. Nec attinet superiorum annorum Imperatores, Principes, & totam Nobilium familiam citare; cum manifestißimum sit, multum studii, laboris, diligentiæ atque sumtuum in nobilißimam hanc artem collocasse. Augustißimum nostrum Cæsarem RVDOLPHVM adducere licebit, quem publica fama paßim constat, artem hanc Alchemiæ impense amare & excolere, & sicuti insignis est artifex, artificiumque studiose de his exquirere, non raro opera ipsa Chymica aggredi, tractandaq; non dedignari. Documento euidenti in atriis Magnatum Alchemiæ adhuc loci tantum esse, artifici-

busque, quantum aliis, minus e scientiis suis sapientiaque animi pastus, vsusque communis adferentibus haud concedi æquissimum est. Hi auctores cultoresque artis diuiniæ Alchemiæ. Paucos dices? Inquio, paucos capaces esse, ideoque paucos. At plures contemtores maximi, minimi, literati, illiterati. Hi & illi ridendi sunt, & Magistratus committendi inuicem. Si infimus & illiteratus diuinam artem odio acrius persequetur, tum eius artifices immerētēr, supremi erit Magistratus & sapientioris, iure in illum imprudenter de arte ignorata vtilissima Reipublicæ censentem, animaduertere, illique iubere, suo vt satisfacere officio, cui perfungendo diuinitus est præfectus, studeat, altioribus, quibus impar, valedictis. Nisi tantum otii ei sit factum, tātumque eruditionis supersit & sapientiæ, inani forsan persuasione ducto, aliena vt curet temere iudicetque de rebus non intellectis. Sed tum artifici artem suam propugnare iure omni incūbit, & Thamyris modo eiusmodi sciolos excipere. In vllū magistratū omnib. respiciendū scribo nihil, neq; dignus.

dignus. Sciolos ex illo, noto, πολυπράγμονας poteſtatem in omnes facultates promiſcue animaduertendi, de iiſque cenſendi πανε-πιστήμονας ſcil. temere ſibi arrogantes. At vituperium contemtuſq; talium tolerabilior. Literatorum maleferiatorum & conuicia in artem & maledicta neutiq̃ ferenda, doctrinæ Philoſophiæ colorib. fucatis pigmẽtata exſpuentiũ. Si n. arti nobiliſſimæ & tot artificũ, ſapientumq; vetuſtiſſimorũ monumẽtis eruditiſſimis, auctoritate locupletiſſima confirmatæ contumelioſiſſime neq̃terq; maledicere eis fas eſt, quis mihi vitio vertet bonus & æquus iudex, ſi cõuitiis laceſſitæ arti atrociſſimis ꝓ ſe quidẽ nobilitate & veritate exſplẽdeſcenti, cuius me ſtudioſiſſimum ꝓfiteor, fuero κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν patrocinatus, magis nugantium in fumos diſſipatis, & veritate propugnata, ad cuius oppugnationem in hac arte q̃dem, vah pudor, calumniatores iſti malitioſiſſimi, conuitiando, ſophiſticando, mentiendoque nihil reliqui feciſſe ſibi in propatulo. Quæ tamen ſpeciem veriſimilium artem Chymicam ſapientulis & imperitis

literatis inuisam reddere valentium præ se ferebant, hæc aggressus sum hoc opusculo diluere & subruere, arte Chymica pristino nitori & suo genuino restituta. Conuitia & calumnias in artem tantam & artifices summos effutitas DEO, in quem vtpote artis istius, vt omnis boni auctorem, adeo ingrate iniurii sunt, & Magistratui, cuius omnino est artes Rebuspublicis proficuas & consequenter earum artifices industrios artem solerter exercentes, salutique præ calumniantibus istis medicastris studiosius consulentes amare, fouere, & aduersus eiusmodi insulsos conuitiatores propugnaculo esse, plectẽda committo. Hoc vero quidquid est laboris I. V. E. inscribendum duxi, quod omnino in defensione artis diuinæ aduersus tot gyganteos conuitiatores iusta, patrono iustitiæ opus mihi fore videretur, non vbiuis adoptabili. Ars enim Alchemiæ artificesque Chymici tum Chymiatri adeo infensis omnium oculis conspiciuntur, vt quo confugiendum sit, nuspiam appareat locus. At hoc non tam inscitiæ, in-

uidentiæ-

uidentiæque hominum, quam fraudibus & imposturis Paracelsistarum, Principes & bonos viros mendaciis circumscribentium acceptum ferendum. Veræ Alchemiæ studiosus ego sum & assertor Chymiatriæ strennus, nullius imposturæ patrocinans, nec fraudes aliorum docens promouensque. Nec Chymiatriam propugnando, & Galenica remedia acrioribus verbis persequendo Galenicosque alius sectæ quam dogmaticæ Hippocraticæque alumnus doctorque iuratus censeri velim. Remedia ista quæ dicuntur Galenica, & merito castiganda, Galeni fuere nunquã, sed a Galenicis efficta & conficta, & digna in quæ arma acuantur. Galenicos confutando medicastros, nec Galenum nec Hippocratem, quos sancte veneror, refutatum volo, quia nec digni, nec Chymiatriæ aduersantes. Chymiæ hostes, qui se Galenicos profitentur, adorior, oppugno, expugnatos volo; quia in me & alios artifices iniuriosi, Chymiatriam Vatiniano odio prosequentes, adeo vt nouitatis inductæ in Rempublicam tum veneficorum medica-

mentorum me accusent quidem, sed quam vere, opusculum hoc docebit, tum euidentißimæ curationes libro secundo Pragmaticarum exercitationum. Si ars Chymiæ antiquißima est, & a multis seculis edocta excultaque, quomodo ego nouitatis, nouorumque remediorū inductorum reus? Esto tamen nouum, si Reipubl. communi vndiquaque emolumento, vsuique euidenti; quid merui noua in vsum cōmunem asciscendo, experiri ante multa secula probata? Natus sum Reipubl. vt prosim, quantum pro parte mea licet. Iubent leges ciuiles & diuinæ, proximo vt commodem. Si noua sciolis maledicis istis medicastris talia sunt, quæ salutis adferre poßunt plus vulgarib. receptis medicaminibus, quid admisi miser, noua huiusmodi amplectendo, vsurpandoque? Veneficii reus sum? Venenatorumque medicamentorū fabricator? Quis credit? Aiunt tamen intrepide misochymici medicastri; argumento quod igniculo Chymico medicamina mea sint fabrefacta. Oh argumentum ferulis expurgandum acutis. Ergo & Cæsarea Maiestas tum alii

Prin-

Principes Serenißimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ, venefici & venenorum fabricatores? Omnes enim isti artifices Alchemiæ Chymicorumq; remediorum elaboratores & vsurpatores iudustrii. Ridendi essent eiusmodi calumniatores peßimi, illusione puerili; ni atrox conuitium constanter affirmaretur, propagareturque, niue metus foret, ne loci quid tandem sit habiturum apophtegma; calummiare audacter, semper aliquid hæret. Sed tamen bona tandem caussa triumphabit, conuitiis istis cum auctoribus in auras euanescentibus. Nobilis vsus Chymica remedia esse, testimonio mihi esse potest cura Serenissimi Archiducis Matthiæ, Domini mei clementißimi, ante triennium ineuntibus comitiis ex catarrho febrili epidemico grauiter decumbentis, & adeo grauiter, vt de salute eius iã fuisset desperatum, ni remediis Chymicis, sua Celsitudine Serenißima & vulgaria & Galenica remedia omni fastidio nauseante, abs me consulto fuisset occursum. Huius curæ felicitate & remediorum Chymicorũ prospero effectu incitatus excellenter do-

ctus

ctus & peritus Serenis. suæ Celsitudinis Medicus D. D. Magnus, amicus meus ab eo tempore Chymiatriæ studere cœpit, eumque iam ad artis excellentiæ fastigium peruenisse spero. Quid autem Soli lucidissimo lumen infero, veritatemque per se satis illustrem illustriorem satago proferre. Artem Chymicam fors amabis, Illustris Hanneuvalde omni bono & sapienti vt diuinam amandam. Amabis itaque eius & Artifices & propugnatores. Ama igitur & foue hocce propugnaculum Chymicum pro veritate artis, huiusque auctoribus defendendis exstructum, meque tibi commendatissimum habe. Cursim Ratisbonæ 10. Maii Anno 1606.

E. T. N.

Submisse & officiose
colens.

Martinus Rulandt.

PROGYMNASMATVM ALCHEMIÆ.

QVÆSTIO I.

An Alchemia sit Philosophiæ pars?

NVLLVS Philosophorum physica philosophiæ subiici negabit, idcircoq; partem doctrinã eorũ Philosophiæ esse. Quandoquidem ergo & chymia subalternata sit physicæ doctrinæ circa idem subiectum occupata, iure pars Philosophiæ æstimanda. Aristoteles in *contextu 75. lib. 1.* post scientiæ subalternatæ tribuit nomẽ subalternãtis. Si itaque Physica pars Philosophiæ; etiam alchemia erit. Si item Physica, pars Philosophiæ exsistit, ꝙ subiectum Philosophię tractet, subiectum idem & Alchemiæ sit, forma seu modo tactandi duntaxat vatians, ea

neutiquam proscribenda agro philosophico. Mineralia, metallica, vegetabilia subiecta sunt physices, a Philos. 4. *meteor. & sparsim alibi* pertractata, eadem & alchemiæ modo tamen alio & diuerso a Physico tractanda. Ergo philosophiæ pars alchemia. Quæcunq; enim subiecto philosophiæ occupatur ars determinato, ea erit ex pars philosophiæ. Atqui Alchemia versat' circa Physica Philosophiæ subiecta, suo modo contẽplanda & elaboranda. Ergo.

QVÆSTIO II.

An Alchemia sit ars.

VAtinianum odium extorsit negationem misochymicis, at virgis digna artis ignorantia. Si vulcaniam ingressi ἐγχειρήματα cũcta vel aliqua obseruassent, liuore Vulcani circum volitantib. fauillis fors exusto rectius sentirent. Euictum iam est, Philosophiæ partem esse chemiam. Ergo, *& scientia vel ars.* ἡ τέχνη γὰρ καὶ ἐπιστήμη re & essentia non differunt, sed saltem λόγῳ. Ars enim vocatur eadem σύλληψις ἀξιωμάτων

cum

eum accomodatur ad generationem, qua opus aliquod fieri debet. Scientia nominatur ratione principiorũ operationis, quę exſtructa ſunt ex cauſſis aliiſq; ſcientificis. Ars definitur Ariſt. *habitus cũ recta ratione effectiuus*. Luciano definitore, ars eſt σύςημα τῶν ἐνκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων, πρός τι τὸ τέλος εὔχριστον τῶν ἐν βίῳ. Cui itaq; conuenit definitio, eidem & definitum. Chemiæ cõuenit definitio artis. Ergo *eſt ars*. Conſtat n. p̃ceptis homogeneis methodica forma ordineq́; diſpoſitis. Officium eius eſt, ſuccos ex reb. heterogeneis puriſſimos elicere, aut eos p̃ſtantiores reddere nobilitate & ſinceritate ſubſtantiæ, viribus effectuque, q̃d exaltare, aut graduare, interdũ & ſublimare vocãt, fitq; tum ſecundũ eſſentiã tum qualitates vireſq; cõiunctas, modo addendo aliquid modo ſubtrahendo, modo alterando, interdum tranſmutando & ex vno corrupto gignendo alterum: interdũ iungendo & ſi quæ ſunt plura artificia. His autem occupari

chemycum, oſtendunt ſcripta artificum & operationes. Vt cum Hippoc. libr. de veteri medicina artem medicam demonſtraturo concludam, ὥσπερ εἰ μὴ ἦν ἰητρικὴ ὅλως, μηδ' ἐν αὐτῇ ἐσκέπτο, μηδ' εὕροιτο, μηδὲν, οὐκ ἂν ἦν ἀλλὰ πάντες ἂν ὁμοίας αὐτῆς ἄπειροί τε καὶ ἀνεπιστήμονες ἦσαν, καὶ τύχῃ πάντα τὰ τῶν καμνόντων διωκεῖτο. Si nō eſſet medicina ars proaui noſtri in ea nihil obſeruaſſent: ſed æq; cūcti ignari eſſent, qui aliquid inueniſſent, & illi qui nihil: ſed caſu cuncta in ea euenirent.

QVÆSTIO III.

An Alchemia ſit imaginationis figmentum.

ASſertio miſochymicis probatur, quia nulla ars bonum a malo, id eſt, formam a materia poſſit ſeparare: quod ſe facturum alchemia promittit. Hoccene eſt probare? ignorare ſcil. elenchum. An nullius artis bonum a malo ſegregare? Ars omnis in effectione conſiſtit definitore Ariſtotel. cum recta ratione molienda. At recta ratio docet boni a malo ſegregationem,

nem, & quidem lege καθ' αὑτό. Hetreogeneum malum esse annuit ratio recta, homogeneum bonum: hoc iubet retineri, illud exsulare longe.

Mechanicæ artes omnes in id enituntur, quo finem suarum artium assectentur sedulo, sutoria calceum effingere nequit, non mali a bono segregatione. Malum eius heterogeneũ est, & ad opus fabricandum inhabile, ideoq; proiectitium. Ars chymica facit similiter. *Ars* ergo *& non figmentum.* Figmento enim nullæ præceptiones, nullum opus in natura exstans affabre factum, nullus per se vsus. Omnia & plura maiora arti competentia adsunt arti chymicæ. Ergo nõ nisi fictis & deliriis phantasia. Formam a materia separare perinde esse, ac si bonum a malo seiungeretur, delirium est, vtrumq; bonum est: quia τὸ εἶναι melius τῷ οὐκ εἶναι. Et omne ens boni finis gratia a natura & principio primo. Nec vllus ars vnquam materiæ ac formæ rei naturalis seclusionem machinata est, nec possi-

bile. Nihil enim trãſit in materiam informem niſi ἐπινοίᾳ.

QVÆSTIO IIII.

An Sal, Mercurius & Sulphur, perfecte mixtorum principia συςάτικα.

AFfirmantes factitia eſſe iſta principia, aliã n. formã a natiua ab igne, artificiali accepiſſe, non eſſe a natura inſita, ſed arte acqſita inferãt. At hoc ignorat elenchum. Quanquã n. ignis artificalis opera pdeant in conſpectũ principia iſta, inficias ibit nemo, artẽ hic nihil aliud moliri, quam τὸ διασπᾶν τὰ συγκείμενα, καὶ τὸ συντιθέμενα διαλύειν. Separatio nullas nouas creat formas reſque, nec artis p ſe eſt vllius diſpoſita & affecta, niſi ſubiiciat materia arte pcurãda. Ridiculum eſt propterea artificialia & factitia eſſe principia, quod igni artificiali inſtrumento vſus artifex ea demum fabricarit. Cur non ſimiliter naturalia principia, qa naturali organo ſoluta, q eſt ignis. Ignis n. in manu artificis tam eſt naturalis quam artificialis:

cialis: quod insita vi agat forma natu-
rali cõstitutus. Coquus ex aqua aerem
ignis vi faciens, artificialem ne aerem
producit aut naturalem? illud haud di-
xeris. Hoc ergo. Quod itaq; arte fit in
naturalibus dispositis, non ἁπλῶς artifi-
ciale habendum, nec totũ etiam ar-
tificiale erit. quid? artificialia si forent
& formæ ab arte acquisitæ artifici es-
sent præconceptæ, at artificibus nihil
principiorum chymicorum cogitan-
tibus, nec eo laborãtibus, nec formam
ideæ princip. mixtis insculpere cupi-
entibus, spõte sua διαλύσει visum adsunt.

Ergo, *& cet*. Quod autem spõte sua
exsistit, id non arte conferat quid ars,
non ideo artificialia. Et forma hæc
principiorum interna est, artis exter-
na duntaxat. Nec artis vllius est, per
se formas solam producere. Sique est
formarum genetrix ars, instrumentis
generationem hanc idoneis exseque-
tur. Artifex namq; sine organis cõue-
nientib. iners. Chymico non est aliud
habilius instrumentum igni. Huius

nō est formas fabricare, qua ignis nec eiusdem est ex diuersis materiebus eadem semper procreare. Atqui ex mixtis cunctis producit is salem, Mercurium & Sulphur. Non ergo igne illa exsistunt. Simplex insuper & vniusmodi est, artifice tum separationem moliente, non ergo contrariorum vna & eadem actione auctor esse potest. Et qui esset, artifice & igni artificis instrumento, omni potentia trium istorum principiorum omnino destitutis vacuisque? Arist. 2. Phys. lex. 21. ὅσον δὲ ἐστιν ἀπὸ τέχνης οὐδεμίαν ὁρμὴν ἔχει μεταβολῆς ἔμφυτον. Ex natura itaque naturalia sunt principia, Sal, Sulphur & Mercurius argumento euidenti. Proprium effectum arguit propriam caussam. Separatio hic fit principiorū heterogeonorum. Arguet itaque suam caussam, quæ est calor, cuius proprium est διακρίνειν τὸ δὲ ψυχρὸν συνιστάναι. θερμὸν ἐστιν, inquit Aristot. ἐστιν τὸ συγκρῖνον τὰ ὁμογενῆ τὸ γὰρ διακρίνειν ὥπερ φάσι ποιεῖν τὸ πῦρ συγκρίνειν ἐστὶ, τὰ ὁμόφυλα. Συμφαίνει γὰρ ἐξαιρεῖν τὰ ἀλλότρια. Pergunt contra-

contradicentes. *Id ex quo insito & manente res fit, illius materia est.*

Atqui *cælestis calor ex quatuor Clemenmentis generat omnia.* Ergo *sunt proxima materia sublunarium, non Sulphur, Sal & Mercurius.* Negatur consecutio. Concessa enim propositione, consequens non est, elementa proximam esse materiam sublunarium, sed ex antecedente hoc duntaxat consequens est, elementa materiam esse sublunarium. Repete tamen propositionem & subsume, ex tribus principiis Sale, Mercurio & Sulphure omnia conflata sunt. Ergo. *Elementa proximam esse materiam sublunarium perabsurdum est,* materia proxima, potentia proxima est instructa, vt caussis actu procurantibus præsentibus, nil obstante, necesse sit id esse, quod potentia erat in materia. Vnde ergo tot heterogenea composita dissimilaria? in quem vsum tot seminũ genera? Si omnia sublunaria proxime constant ex elementis. An hominis ratio ex elementis proxime?

Ad quid ergo semen? nec huius proxima materia elementa, sed sanguis quo nutrimur quidẽ proxime, at si tibi sanguis ex quatuor constat elemẽtis, chymicis vero trib. principiis, sale sulphure & Mercurio nõ vulgaribus, verum analogis, δυνάμει etiam iisdẽ nutriemur principiis. Arist. 2. de ortu. cap. 8. quãdo de ortu & interitu καθόλου disputat, duplici argumento, quod ἅπαντα τὰ μικτὰ σώματα ὅσα περὶ τὸν τοῦ μέσου τόπον ἐστιν, ἐξ ἁπάντων σύγκειται τῶν ἁπλῶν, euincere ãnititur. manifesta sunt verba Philos. γενέσεις εἰσὶ ἐκ τῶν ἐναντίων. Ἐὰν οὖν γῆ ὕδωρ καὶ ἐνυπάρχειν ἀνάγκη καὶ ἐναντία τούτων ἀέρα καὶ πῦρ ἐνυπάρχειν. γῆ μὲν γὰρ ἀέρι, ὕδωρ δὲ πυρὶ ἐναντίον. ὥστε οὐκ τεττάρων σύγκεται ἅπαντα τὰ μικτὰ. ex nutritione ita: ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς ἐξ ὥσπερ ἐστὶν. ἅπαντα δὲ πλείοσι (τέτταρσι) τρέφεται. ἐκ πλειόνων οὖν ἅπαντα μικτὰ ἐστὶ. 3. de cœlo per ἔκκρισιν comprobat idem. *Segregantur ex mistis quatuor*, inquit. Tot ergo insunt. Tria hæc attingunt chymicorũ de reductione examen. Siq; Arist. firmiter ex quatuor elemẽtis cõcreta esse corpora, istis cõprobauit argumẽtis, chymici

mici iisdem repetitis nixi firmius lõge demonstrabunt, corpora ex trib. principiis, Sale Sulphure & Mercurio constare. Non ita coeunt elementa, vt plane abolescãt, sed tñ ita, vt nõ amplius sint actu id q ante separatim fuerant, retineãt tñ corporis inq; collo potentiam. Chymicis præter tria hæc Arist. fundamenta succurrit & sensuũ copia. In mineralis vel metalli resolutione naribus & ratione agnoueris vim Sulphuris. Oculis ex consectaria flamã æstimes idem. In vegetabilib. animalib. si negaueris sensuum probationẽ euidentem δύναμιν, tñ principiorum Salis, Sulphuris, & Mercurii probes necesse est, concessis sic & non actu in mixtis elementis: vt si non ipsum sulphur in mixti solutione dicere possis, tamen sulphureum notare queas, ita & mercuriale salsuginosum.

QVÆSTIO V.

An Sal, Sulphur, Mercurius principia Chymicorum sint factitia.

ANtichimici principia hæc chymicorum formã hãc, cuius nomine

ita indigetantur ob analogiam, cum vulgaribus Sale, Sulphure & Mercurio, & aliam a natiua ab igne accepiſſe, & artificialia æſtimanda iudicant, ſiue talia vt indigetantur, in corporibus, tum viuentium, tum inanimatorum reperiantur principia, ſiue analogica, arte ea fieri, aſſeuerare non auſim. In mineralibus & metallicis actu ipſo inesse & modo ſimplicique ſeparationis modo ſegregari in propatulo eſt, ipſa αὐτοψία euidentiſſimũ. In vegetabilibus non tam conſpicua ſunt, verius analogice in conſpectum prodeunt. Neutiquam tamen arte facta. Ambo enim a natura, quia naturalium ſunt ὀισατικοί, & ſi non ſunt principia, tamen ex iis conflata. Non arte ergo, cuius non eſt, negata natura omni fabricare. Si itaque arte etiã principia iſta emergere concederetur, actu non inexſiſtentibus illis, ſatis tamen foret δυνάμεις eorum ineſſe, id quod aduerſariis largientib. neceſſum. Nõ enim ex quolibet quoduis fit, ſed ex determina-

nato ac determinatũ. Naturales igit, si insunt δυνάμεις, si arte promouẽtur ad finem vltimũ, nõ mera factitia principia erunt, nec ꝓpter ea neganda principia esse Insunt & elementa mixtis non actu sed potentia, quæ tamen nihilo secius dicuntur principia rerum naturalium. Separantur & natura & arte fatiscente corpore. Sed vt hic ita & illic non nisi analogice, exhalans e cadauere non aer est, non ignis, sed his analogum, quin & in cinerem redactum, terra non est, sed terenũ quid, non sine δυνάμεσιν totius inibi latitantitantibus, beneficio quarum, voce Iehouæ resurrectura sunt corpora nostra, quæ nobis videbantur in nihilum abitura, 1. Corinth. 15. σπείρεται ἐν φθορᾷ ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ. Si itaque elementa principia habentur corpora mixtorum, etiam chymica erunt, qua enim ratione demonstrantur illa principia, eadem & euidentiori hæc.

QVÆSTIO VI 14

An omnia faceſcant in tria chymicorum principia Mercurium Sulphur & Salem.

ANalogice ſi hæc accipiantur chymicorum principia aſſentiri eis poſſumus, ita vt ꝓ Mercurio aqua ponatur, Sulphure ignis & aer, ſale terra. Analogia negata, negatur omnia eo abire. Ex aqua & terra fac limum viſcidum, & hunc cura conglutinari & concreſcere in lapidem: quemadmodum natura id fieri obſeruamus. Si hic reſoluatur in vltima, nō in Mercurium Sulphur & Salem, ſed in vulgata & phyſica reſoluetur principia. Quid de elementis ipſiſmet, an vnquam in iſta principia recidunt, ex quib. nunquam conſtituta ſunt. Quid de mineralibus, quorū non omnia etiā igni crebrius, fatigata iſta tria reſpuunt principia, ſed nunc hoc, nunc illud potiſſimum regerunt arti.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

An Medicus & Chymicus idem? Negatur.

SVbiecta vtriuſq; occupãtia vtrumque variant, ideo & chymicum & medicum diſtare a ſe inuicẽ oportet. Medicus is eſt, qui medicinam ſcit, & bene vſurpat ad procurandam ſanitatẽ. Seu qui εὖ θεραπεύει. Chymicus non ſanitatem ſibi ſubiectã habet, ſed ſuo ſtudio naturas rerum explorat, ſingulari reſolutionum, ſeparationum, exaltationumve arte, & hinc præclara medicamẽta ſecundario exhibet medico, commodamq́; medicandi materiam ſuppeditat.

QVÆSTIO VIII.

An pharmacopœiæ præcipua duo officia, deligere & præparare.

SI officium Medici eſt præſcribere medicamenta, & horum rationes omnes, pharmacopœi officium non erit præcipuum deligere, ſed cum

medico commune. Imo ſi medici eſt præſcribere medicamenta & pharmacopæi parare eadem, dilectio medicaminum medici potius erit, quã pharmacopæi. Illius enim eſt ſecundum indicationes indicata perſequi. Hoc peragitur legitima & ſelecta medicamentorum præſcriptione. Ergo amplius. Cuius eſt morbis mederi, idque per medicamenta κατὰ λόγον adminiſtranda, illius erit delectum medicamentorum habere, qui nimirnm in debita qualitate, quantitate, & aliis adiunctis conſiſtit. illud eſt medici. Ergo & hoc.

QVÆSTIO IX.

An Chymici ſine delectu remedia præparent?

INſanit, qui hoc aſſerere audet. Detur ergo ipſi Helleboriſmus & talis: qui ſecundum artis præcepta remedia conficit, is ſine delectu neutiquam laborat. Chymicus arte parat remedia. Ergo. quod arte fit, cum delectu idem fieri

fieri necesse est, adeo vt perpetum artis adiunctum sit selecte agere, hocque negato, negetur ipsamet ars. Chymiã artem esse supra demonstratum est, ante perspicuum quidẽ: Artifex ergo chymicus talem artem edoctus. Non ergo nisi cum delectu agit, quidquid agit, vt sapias puerili medicabor tibi remedio, efficacioribus impar scilic. si Chymicus sine delectu remedia parat, cur tincturam stibii ex vitricto, arsenico, Mercurio non elicit, pretiosam? cur ex quolibet non quodlibet fieri censet? Hoc promiscue agentis est contra artem. Illius non est, ex definita materia definitum elaborare studentis.

QVÆSTIO X.

An Medici officium a Pharmacopœi debeat esse distinctum atque seiunctum.

Negatur.

VVlgo licet credatur aliud officiũ Medici, aliud Pharmacopœi, ꝗ

hic conficiat pharmaca, ille vero præscribat, vnum tamen idemq; eiusdem munus, circa vnum & idem occcupati τὸ φαρμακοποιεῖν, scil. vt nominib. duntaxat, & honorum gradu alter ab altero distet, & scribens honoratior operãte censeatur falso, scribente tamen operante scientiore quandoq;, vel etiam contra. Equidem ad medicorum hodie labores subleuandos circa ægrotantes visitandos & medicãdos occupatissimorum, publica habentur pharmacopolia, quibus pręsint pharmacopœi, non tam factores pharmacorum, quã venditores. Hoc infra dignitatem medici foret publice mercaturi, & Iudæum perfidũ acturi, at nõ illud. Nam non solũ medici est medicinam præscribere, sed & elaborare eandem. Si medicinam facere ignoras, quomodo factam perscribes rite, miscendo, coquendo, distillando, extrahendo, &c. multum virtutis nunc perdentẽ, nunc acquirentem? Quin imo si pharmacopœi officiũ aliud oportet esse, & aliud Medici,

Medici, nec huius erit botanica scientia & metallorum reliquarumque rerum physicarum notitia tota ad pharmacopœos deuoluenda. Hoc quam turpe medicis foret, Hippocratica & Galenica arte sese venditantibus, conspicuum est vulgo, qui Medicos ob id doctiores Pharmacopœis habet, quod illi his rerum physicarum scientia excellentiores videantur. Si itaque vnam eamque non vulgarem officii partem Pharmacopœum attinentis, medicum subire decet, medicamenta videre simplicia tractandi, quare compositis dicent vale elaborandis? An qui præscribit medicamenta ægris paranda Medicus, præscribendo ne componit vtique. Siquidem pharmacopœus non nisi ex præscripto agit, fideliter si agit, & hoc modo agendo ministri perfungitur duntaxat munere, ipsomet medico cõponente. Anonymorũ quidam interesse Reipublicæ inquit, medicũ a pharmacopœo ita distingui, vt vnus p̃scribat, alter operet̃:

quia nisi essent distincti artifices, posset vterque quando lubet, ægrum impune occidere, possent singuli fel pro melle, venenum pro remedio propinare, & paulo post subiicit: Attamen operatio pharmacopœis relinquenda erit, indigna Medici maiestate, cuius est præscribere non operari. Insolentis medici insolens & ineptum receptum, idque syllogisticũ tale. *Si medicorum & pharmacopæorum officia non essent distincta, vterque ægrum impune intermeret. At sunt distincta.* Ergo. Consequentia negatur. Vno enim affirmato non affirmatur protinus alterum, nec antecedente negato, negabitur statim consequens. Vtrorumque officia hocce seculo distincta sunt, nihilominus ab vtroque plures occidi ægrotantes contingit: plurimos etiam seruari officiis alterutrius, nunc coniunctis & iisdem, nunc etiã disiunctis. Et qui ægrotantium impunitus interitus, ab amborum nõ distinctis officiis? an quod Medici sit præscribere & pharmaco-

macopœi operari? Sed quid vtrumq; ad mortem patientium? aut alterutrum mortẽ machinabitur, medicus operando, & pharmacopœus præſcribendo, aut Medicus vtroque, aut tu mendacii es damnandus. At illud falſiſſimum. Ergo hoc verum. Qui enim vtiliter & ex vſu ægrotantium præſcribere pharmaca nouit, is eodem fine operabitur. Omnis medici illud eſt, Ergo & hoc. Neſcire hoc inquies medicum, ideoq; ſalutariter facere pharmaca nequire. At inquio viciſſim, *cum medicamentorum præparandorũ ratio eſt perſpecta, eidem erit eorũdem operatio non incognita. At prius verum.* Ergo *& poſterius.* Ratio conſecutionis eſt a neceſſario connexu ſubiecti & adiuncti. Si enim medicorum ſubiectũ eſt medicamentorum præſcriptio, hæc autem nõ niſi quotidiano vſu & encheiriſi prudenti addiſcatur, medicamentorum operatio tamen erit ſubiectum medicorum proprium, quam eorundem præſcriptio, quæ negata omni o-

peratione non nisi cæca stolida & periculi plena. Architecti est, non modo ædificandi rationem ministrantib. præscribere, sed & ipsam ædificationē suscipere atq; συνεργεῖν, indignam operationē Medici maiestate esse, superborum duntaxat medicorum censura est, nihil nisi auram vulgi ἁμαξιαῖα τὰ ῥήματα iactando, holosericis vestibus incedendo, asinis insidēdo, grauitatem maxima stultitia & gestibus & sermonibus emicante conditam referendo captantium. Cur pudeat medicos operari, quos nō pudeat stercorare, lotia & merdas fœditissimas inspiciendo? vtrum honestius est, dic ædepol, olere stercus & vrinā, an pharmaca facere? Si illud; dignus vt nutriaris stercoribus putidissime & quotidie tibi moschus sit κοπρειώδης. Quis Hippocrati nostro, quis Galeno, quis Auicennæ & reliquis Græcis Medicis principib. fuit pharmacopœus? Nōne hi omnes medicinarū præcellentiū non solum præscriptores, sed & elaboratores strenui,

nui felicioresq; nobis medẽdo, omnẽ operarum pharmaceuticarum curam in myropolas, medicamẽtarios nunc sciolos, nũc inertes, bonos iam, sæpius improbos & nũmis inhiantes sagacissimis medicis imponentes deuoluentibus. Principalis medici quidem functio est bene mederi, seu illa auxilia, quæ ars præsentit, postquam cognouit satis & elegit, vsurpare perite ad ꝓcurandam sanitatem. Nosse herbas non facit medicum nec pharmacopœum: Sicut nec morbos scire, sed sanare perite. Illa duo facultati eius sunt, subordinata, quandoquidem absque notitia illa officio suo fungi nequit.

QVÆSTIO XI.

An medicamentum in tria chymicorum principia, Salem, Mercurium & Sulphur ἀναστοιχειώσει *soluta retineat temperiem totius.*

NEgantes temperamentum inferunt, pẽdere ex mixtionis modo, mistionẽ vero ex quatuor primarum

qualitatum calidi, frigidi, humidi, & ſicci vnione; nullo itaque iure in tres ſubſtanias, Salem, Sulphur & Mercurium, mixta ſeparari poſſe, nec in ſingulis totius temperamentum permanere, nec quæ mixta cōſtituebant certam temperiem, retinere eam ſeparata. Reſpōdetur Syllogiſtice. *Quod ex vnione quatuor primarum qualitatum eſt conflatum vnione, illud non poteſt redigi in tria iſta chymicorum principia, Sal, Sulphur & Mercurium. At omnia mixta naturalia ex iſtorum coitu conſtant.* Ergo. Quanquam enim pleraque naturalium, ex mixtione primarum qualitatum conſtant, conſequens non protinus eſt, ſegregationem trium principiorum, Salis, Mercurii & Sulphuris exinde fieri nō poſſe. Quin imo quia res naturales, minerales præſertim in tria iſta principia ἀναστοιχειώσει ſpagyrica reſoluuntur, omnino ea ipſa ineſſe oportuit. Quo enim argumenti momento corporum naturalium ex elemētorum συγκείσει conſtitutionē comproba-

probare ſibi perſuadent, eodem & ex ipſa συγκρίσεως διαλύσει ſpagyrica trium illorum principiorum chymicorum, ad naturalis corporis ſyſtema miſtione coitum aſtruendum oſtendemus hoc ratiocinio. In quæ redit quodlibet ſolutum, ex iis conſtet neceſſe eſt? atqui mixta quæuis ſoluta in Sal, Sulphur & Mercurium redeunt, & arte & natura. Ergo. Propoſitio axiomatica eſt nullius probationis indiga. Minor Spagyricis tam certa, quam ipſa αὐτοψία anatomia euidentiſſime oſtendenda. Spagyria quodlibet & animale, vegetabile & minerale in tria tibi redigit principia, Sal, Mercurium & Sulphur, vt obſtinatior temere & ignoranter, iam ipſiſmet tuis oculis viſa certo aſtruere cogaris inuitus. Doceto ſimiliter ἀναστοιχειώσει tua, regreſſum & egreſſum, elementorum res nuper naturales συγκρίσει conſtituentiũ. Adiũcta ἀναστοιχειώσει cadaueris putreſcẽtis Mercurius, Sulphur & Sal, ille volatilitate ſua & ἀοριστία oculos in ſui teſtimonium

vocabit, hoc mephitide nares feriet, Sal non tam Mercurio quam cinerib. osseo cadaueri afflatis inhærens patefit, illis ipsis principiis sibi inuicem permistis & altero alterius cõtagione cõtaminato. Quemadmodũ igitur affirmatum mixtum naturale ex quatuor qualitatibus coadunatum, non negat tria principia priora illis, aut proxima Anatomicorum, sperma & sanguinem, quibus constamus, & hoc nutrimur: ita nec cõcessum prius redarguet tria chymicorum principia, Sal, Mercurium, & Sulphur, quæ tam virtutibus, quam corporibus ipsissimis vbiq; conspiciuntur. Non enim mixtum naturale ex solo elementorum concursu consistit solummodo, sed & seminaria propagatione, quæ iam vegetabilis & animalis est, iam mineralis, imo vtriusq; si nõ trium omnium particeps esse habeatur. Si itaque mixtum virtute Sulphuris, Salis & Mercurii, emicat, vtique non inepte constare ex iisdem censebitur, & princi-

pia

pia eius eſſe, id anatomia ſpagyrica cum rationibus aperte approbãtibus. Non ex ſolo elementorum congreſſu mixtum eſſe conflatũ, arguit euidentia heterogenorũ, vires non elementis inſitas, ſed a λογωτῆς μίξεως obtinẽtium. Ex concurſu elementorum fit lapis iners, mixtione ſimplici, non niſi elementarem virtutem profeſſus. Mixta qua mixta nobilius elementaribus arguunt συςατικὸν. Nobilitas τῶν συςατικῶν, inquies non in fictis & pictis iſtis principiorum chymicorum conſiſtit, ſed in forma miſti. Inquio viciſſim. Formam mixtorum variare neceſſe eſſe, mixtis ipſis diſcrepantibus, alioque alii nobilitate mixtionis anteeunte iam, nunc ignobilitate cedente. Nec ficta eſſe illa principia chymicorum, quod αυτοψία pateant, & naturali & artificioſa ſolutione repræſentata, non tamen idea vulgaris Mercurii, *Salis* & *Sulphuris*, ſed vultu analogico virtutibus, & potentiis quadantenus

vulgaribus correſpondentibus, ex calidi, humidi, frigidi ſicci coitu mixtum conſtare aſſeris, quodlibet, diuerſimode tamen commixtum, idq; & ἀναςοιχειωσειώσιος nutritionis & generationis argumento conaris euincere. Chymici iiſdem vtuntur argumẽtis, & neſcio num minore vel maiori robore. ταῖς δυνάμεσιν omnia obiecta excuſatis, elementa actu mixtis inhabitare negantes & qualitates eorundem. Chymicos idem reſponſuros vobis obgannientibus ridetis. Atqui potentiis non contenti, actus ipſos in corporibus ob oculos ponunt, vnionis primarũ qualitatum cuiuslibet miſti demonſtratione autoptica nobis denegata. ἀναςοιχῶται mixtum, vel ſponte ſua vel arte quod ex primarum qualitatum mixtione conſtare ais, vel qualitates iſtas, vel ſubiecta harum mihi oſtende, vt oſtendit tibi Chymicus, &in tuam ſtatim deſcendam ſententiam, abnegatis Chymicorum principiis nugacibus habendis. Heterogenea in cuiuslibet

διακρίσει

διακρίσει ibunt tibi inconſpectum, oleoſum, aqueum, & ſiccum quippiam, vnum quodlibet erit adhuc mixtum & non ſimplex, quia mixtio non ex ſimplicibus meris erat, oleoſum aerem ignemque peripatetici, Chymici ſulphur indigetant, aqueo illi aquam, hi Mercurium, ſicco illi terram, hi vero ſalem denotantes. Vtris fides habenda? mixta iſta eſſe principia adhuc nec pure elemẽtaria, manifeſtũ eſt. Num ꝓpterea principii notatione indigna? At mixtis & cõpoſitis principiis conſtamus, ſi iſta habentur principia, cur non reſolutione apparentia principia definienda? Principium prius & poſterius, primum medium & vltimum & ſuis modis deſcriptum *5. metaph.* interlinendum. Quodlibet tamen principium mixti vlteriori διαλύσει vel natura, vel arte exaltetur, putaſne abiturum eo ſimplicitatis, vt merum redeat elementum? ſi abit, recedit eo, vnde venit, & ſic elementa erunt vltima, & Chymicorũ media vel proxima prin-

cipia, ſi prima, media & vltima principia concedũtur cum Ariſtot. & rerum euidentia, de craſſi totius ſeparati ſpagyria iam diſceptantes, puerilem in ſpagyr. ignorantiam ſuam produnt. Non enim ſeparantur, vt perdant craſin totius. Finis artificis eſt imperfecta ad perfectionem artẽ perducere, abiectis abiiciendis. Quorum fit ſeparatio, eorum etiam iterum fieri coniunctionem oportet, craſi totius nobiliori reſtituta priori, impuritatibus & obſtaculis ita remotis. Temperamentum totius manere a ſeparatione & hanc inſequi coniunctione artificioſa effectus elaborati arguit depuratique. Si ad intentionem artificis ſeparatio mixti inſtituitur, coniunctione miſſa temperamentum totius deſtruatur, quid noxæ inde metuendum? & aliquando toti mixto tribuitur, quod eſt vnius partis proprium & principii Chymici ſeparatione hic facta, tantum abeſt, vim ſpecificam perire, vt ea potius intendatur

datur & vegetetur decoctum vel aquam deſtillatam præſcribens non mixtorum omnium totam craſin exhibitam vis, ſed horum duntaxat vim quampiam craſi ſua determinatam, niſi aquam deſtillatam totam mixtorum temperiem poſſidere tibi perſuadeas. At totum mixtorum temperamentum illis non ineſſe, reſiduum perdocet, multum virium adhuc exquiſitiore digeſtione & diſtillatione concedendo. Rhenbarbari decoctum virtutem obtinet, χολαγωγεῖν & bilem ducendi, aſtringente facultate temperiẽ totius attingente in reſiduo conſidente & parte terreſtriore aſtrictionis ſubiecto congruo. Abſit itaq; a ſeparato triũ principiorum non iterato copulatorum craſis totius, ſit tñ inſtructũ craſi ſua & determinata, hacq; vſui bono, num propterea quid abſurdi in naturam vel artem commiſſum erit. Lacti heterogeneæ partes ſunt craſi totius vnitæ, vt id vniuſmodi eſſe putetur, ſolue compagẽ mixtionis, vi-

ſui protinus obiicientur partes heterogeneæ ſua quælibet ornata temperie peculiari, ante totius λύσιν, ſub totius latitante, nulla tanta, tamen vtilitate, quam iam a διακρίσει præſtant generi humano.

QVÆSTIO XII.

An Sal principium naturalium, cum arte factum artificiale habeatur?

QVod naturalium principium eſt, argutātur miſochymici, id artificiale eſſe nequit. Sal chymicorum artificiale eſt. Ergo, *naturaliū principium eſſe nequit*. Conſecutio neganda & ad aſſumtum reſpondendum. Sal Chymicorū dici artificiale, arte naturam principii dumtaxat purificante & ſuæ integritati reſtituente, interim id in ſe & per ſe principii λόγον obtinet.

QVÆSTIO XIII.

An Salia cauſtica, ideoq́; ad adiumenta medica noxia?

CAuſtica probantut eſſe argumento, quod in aduſtis omnibus maneat

neat empyreuma. At hoc eſt petere principiũ. *Quod empyreuma ſapit, illud cauſticum nõ eſt, Salia empyreuma ſapiunt. Ergo non ſunt cauſtica.* Propoſitionem coqui erroneam teſtabuntur negligentia ſua ſæpius cibis empyreuma inferentes, minime tamẽ καυσώδεις. Aquæ hæ diſtillatæ quoties empyreuma redolent, ſed quodnam eis καύσωμα? adſit tamen aduſtis & ſalibus expyreuma, hoc ſublato καῦσις tolletur. At empyreuma eluibile eſt, leui arte, ergo & καυσώδες, rectificata itaque Salia τῦ καυσώματος expertia in vſu veniãt. Sed ſi cauſtica ſalia vſu abdicentur cotidiano, cur ſal edulis in vſu eſt cotidiano, & q̃dem omnib. promiſcue? pergit inſulſus obloqui, generandis & conſeruandis animalibus, ſola dulcia conferunt, ſalſa illis ſunt infenſiſſima.

Iis enim animaliũ omnia vt vermes interficiuntur: eaque vt capitalem hoſtem reſpuunt. Inſulſum admodũ obloquium. Vbique petit principium. Dulcia ſola generandis & conſeruan-

dis animalibus conferunt, quomodo? quid dulcedo ad generationem & cõseruationem animalis? *quod obtundit venerem, id non potest conferre quidquam ad eam. Dulcia obtundũt venerem.* Ergo. Vin' assumtum probari: *Quo torpet sensus organum, illud iners ad Venerem. Dulcibus torpent sensoria inprimis Veneri dicata.* Ergo, Et quanquam dulcia εὔχυμα habentur & ea propter multũ sanguinis & ἑπομένως plus spermatis elargiẽtia, per se absque stimulo salis tamen perpigra & mortua esse εὐσαρκοι dulcibus enutriti ostendunt. Sint tamen dulcia emolumento alicui, sale nõ expuncto, & sic non solum dulcia cõferent. Imo *quod plus confert, id alii est anteponendum vtilitatis præcellentia. Sal plus confert ad generationem & conseruationem animalium.* Ergo. Minor probatur, sal enim esculenta quęque sapida efficit, gustuique ac palato gratissima, cibique auiditatem incitat, tum omnia a putrilagine vindicat ac tuetur omnibus præsertim limosis sordibus excoctis atque

que ademtis. Illo condita quæque in multam æstatem asseruari possunt; absorbtis enim consumtisque excrementitiis omnibus humoribus, cogit & densat carnes ac salsamenta, ne quid ex ambiente aere putredinis subire possit. Ad generationem animalium & conseruationem eorundem sal nihil cõferre, a vero alienissimum, experientia constat. Obesæ siquidem mulieres dulcibus delectatæ & enutritæ, quæ magna ex parte effœtæ sunt, moderato salis vsu fœcundæ fiunt ac conceptui idoneę: abstergendo enim omnem vliginem vuluamq; plus satis vdam madidamq; exsiccando, efficit, vt genitale semen facilius vtero minus lubrico adhærescat. Viris quoq; lumbos incitare, mouereq; tentiginem commonstrant salitis affatim vsi: sic frequens marinorum piscium esus, omniaq; testacea, ostrea, gammari, locustæ, cancri, cochleæ conchæq; marinæ, libidinẽ concitant, caliditatis mordacisq; naturæ rõe, fœcũditati insu

per auxiliari, vel illud argumento eſt, quod immenſa vis murium ſoricumq; in marinis nauib. enaſci ſoleat, & quod mulieres ſalinariæ continenter pruriant, multarumque prolium ſint feraces. Hac inducti ratione in nonnullis regionibus coloni, iumentorum pabulo multum ſalis inſpergunt, quo ſint ad cibum auidiores, & ad ſubeundos labores, gignẽdumque magis alacres & erecti. Imo adeo afficiuntur ſalſis animalium pleraque, vt nõ exſpectantia agricolarum ſalſationem, vndiquaque ſalſa inueſtigent, calces & ſalſuginoſa a parietib⁹, ruderibus, e ſtercoribus, vrinis ad quas omni conatu vltro feruntur præcipitia, vt nulla vi queant abigi. Columbarium adi ſi columbarius es, ſi frequens habere cupis, lotio id probe perminge, & ſale conſperge, habebis inde frequẽtiſſimum. Quod nam autẽ animalium ſalacius columbis? ſtercus columbinum, ouillum, caprinum guſtu, multum ſalis nitri ineſſe deprehendes anatomia, ſi non eſt

infra

infra dignitatem tuam, idque esse fertile arguit ex eo stercoratio fœcundissima, agricolis omni studio expetita. Tantum conferunt salia ad generationem & conseruationẽ animalium, vt mirari subeat, aduersarium ausum fuisse obiicere intelligentioribus, infensissima salia esse animalibus. Si sunt infensissima cur tantopere eis expetita vermes eis necari ridiculum est, Cur necantur. An quia salia putredini aduersantur, ex qua vermes nati scilicet? sed hoc est conferre multum ad conseruationem animalis. Prohibita enim putrilagine, prohibebitur generatio vermiũ internecioni hominum natorum, hisce prohibitis sal procurabit efficaciter conseruationem & generationem animalium, quorum abiectitia sunt vermes, quibus affirmatis, non affirmantur omnia animalia. Notandum & hoc dulcia sola conferre ad generationem & conseruationem animalium, si sola, quare condimenti loco medici suadẽt salis aspersionem.

Dulcibus admiſtus ſal, ex dulcibus facit non dulcia, inſipida ſapidiora & ſalſedinis nonnihil ſapientia. Aliquid ergo conferent ſalia & non ſola dulcia, quod implicaret contradictionem.

QVÆSTIO XIIII.

An præter condimentum, ſalia plus præbeant adiumenti in medicina vſurpanda nec ne?

AD ratioes allatas ſurdeſcentibus aduerſariis, cum alias τὸ αὐτὸς ἔφα ipſis pluris ſit, quam tota ἀπόδειξις, principes medicorum ſalium gnari vſurpatores, teſtes locupletes producam eo in primis nomine, ne nouatores & nouorum medicamentorum fabricatores conſultoreſque habeamur. Ac primum Æginota hac de ſalis facultate refert lib. de re medica 7. cap. *Sal omnis multum ſiccantem ac aſtringentẽ facultatẽ habet, vnde quicqd humidi in corporibus eſt, id totũ depaſcitur. Quod vero reliquum eſt, id totũ compingit.* Oribaſius Medicam. collect. lib. 15. *Sales*, inquit, *ſiue foßiles ſint, ſiue ex mari oriantur, ſimilem*

dem facultatem obtinent: eaq́; ex duabus qualitatibus abstergente & astringente mista est. Differunt tamen, quod sales, qui ex terra fodiuntur, discussoriæ sint essentiæ, ex quo fit, vt crassiorum sint partium, magisq́; astringant. Sales vero isti magis digerunt, quam ignem non experti, quatenus eorum corpus tenuiorum partium est redditum. Idem Oribasius lib.2. de virtute simplicium medicament. ad Eutrapil. hæc scribit: *sales similem vim habent, fossiles & marini & ex duabus mixti sunt qualitatibus abstergente atq; astringente. vtrumq; autem genus siccare planum est. Quamobrem omnem humorem in corpore depascitur & partes solidas astringendo densat: quod in caussa est, vt eas sale condiant, salq; corpora a corruptela conseruet. Sal vstus maiorem detergendi vim habet: non æque tamen contrahit & condensat.* Aetius paucis additis aut immutatis verbis. Tetr.1. serm.2. cap.43.& cap.46. idem scribit. *medicamenta ex salibus constructa proferātur pri-*

ſcorum medicorum peritiſsimorum ad obtundendam calumniandi libidinem medicaſtrorum miſochymicorum nil niſi ſua ſordida laudantium inefficacia nulla methodo παρὰ λόγον *adminiſtrata*. audiāt Aetium tetr. 3. Serm. 1. ca. 24. vbi de cruditate, & de iis, quæ ad concoctionem iuuandam faciunt, ex Galeni aliorumque medicorum ſententia, ſales nobis proponit: in quorum deſcriptione libra vna Salis Cappadocis ingreditur, *quæ omnium aliorum doſin piperatorum ac calidiſſ. quantitate ſuperat, puluere inde concinnato, ad ſemicochlearis quantitatem, ex ouo ſorbili, aut ex ptiſana ieiuno ventriculo matutinis ſumendo. Huius medicamenti* (inquit) *auxiliares facultates nemo pro dignitate laudare poteſt. Quare vt breuiter dicam, ad frigidiores temperaturas, nō reperias aliud Pharmacum, quod conuenientius crudos humores concoquat, vnde & colicis prodeſt: ventrem citra moleſtiam mediocriter mouet. Deſcribit porro ſales Poletis aluum emollientes pituitam a capite diſſoluentes & per palatum tranſmittentes.*

tes. Eam ipſam compoſitionem ingrediuntur, *ſales torrefacti ſplendidiſsimis drachmis cētum & quadraginta quatuor, addendo ſolummodo florum chamomill. conizætemii, calamenti montani, radicis eryngii montani, origani, ſylphii, piperis ana trientem.* Proſtat & alia ſalis compoſitio apud eundem præſtantiſſimi medicamenti vices aduerſus multos humani corporis affectus explens, his verbis eam commendantem: *Qui enim aßidue* (inquit) *vtitur, nullis morbis per omne tempus infeſtatur, præcipue tamen caput alleuat, viſum acuit, pituitamque in thorace congregari non ſinit, concoctionem bonam operatur, & neceſſarias venas maxime ab obturatione liberat, & renes repurgat.* Hi ſunt ſalium fructus cauſtici & empyreumate Sal. infeſti noxiique, vt priſcis & principibus medicorum nullum medicamētum fuerit exoptatius & ſalubrius cōpertum. Actuarius *libr. Method. medend. cap. 9.* deſcribit quoſdam ſales purgatorios: *Sal qui aluum ſubducit, ventri, inteſtinis*

inhærentem pituitam, reliquoſq; humores euacuat, purgat quoq; modice bilem: commodiſſimum eſt articularibus morbis ſtomachicis: & ſi quis ob ſtomachi vitium comitialis aſſidue concidit, eoque vtitur: mihi, inquit, *gratiam habebit. Qui eo familiariter vtuntur, a morbis ipſis vindicat. Subducto vultu chymiæ oſores rancidi compoſitiones priſcorum inſpiciant: Sal armoniacus, præter calefacientia impenſe, violenta calefactione, ſi non venenata dotatus occurret.* Plura ibi locorum videre licebit. Nicolaus Myrepſus *lib. 1. de anti dotis, ſectione prima,* pręter plurimas ſalium deſcriptiones vnam deſcribit Sanctorum Apoſtolorum auctoritate & vſu inſignitam huiusmodi virtutũ, vt viſum ad ſenectam conſeruet, tuſſim & anhelitus difficultatem prohibeat. Aliã Lucæ Euangeliſtæ & Apoſtolo tribuit, nõ minorum virtutũ, aliã itẹm Gregorio Theologo & cet. Marcellus Empirirus duo ſalium purgantium genera deſcribit *in ſuo de Medicam. lib. ca. 30.* Ægineta *lib. de remed. 7. cap. 5.*

vinum

vinum purgatorium ſalem continens, deſcribit porro ſolutiuum ſal, *tetr.1. ſerm.3.cap.108.* integrum hoc caput de ſalibus purgantibus inſtituit; quorum varias explicat formas, admirandaque de eis prædicat, tum ad præcautionem a morbis, tum in grauiſſimorum etiam affectuum, nec non febrium quotidianarum, tertianarum ac quartanarum curationem. Oribaſius εὐποριςῶν *lib.1.cap.9.* vbi de euacuationibus tractat, quæ ſanis conueniunt, hæc ſcribit: *iam vero iis, quibus malitia humorum ineſt, & quibus propter ſuperfluorum acrimoniam exanthemata in cute exoriuntur: quique morſum in lotio ſtercoreque ſentiunt, confert lac melli mixtum bibere. Itemque ſerum lactis: ſed primum potui dandum eſt ſale iniecto: facit enim ſal, vt ſerum partes corporis celerius permeet.* Plinius ſecundus letaliter febricitantem & obſtructa aluo diutiſſime oppreſſum, aliis medicis incaſſum laborantibus, ſola aqua ſalſa ſimplici ad miraculum liberauit, non

ſolum febre, ſudore, fugata, ſed & aluo laxata, calumniantibus licet tum medicis, ægrum illius potu enectum iri: Quid? ne Galenus a ſalis nitri vſu abſtinuit, quin eum etiã atque etiam commendat, *libr. 4. de ſanitat. tuend. cap. 5. Trallianus lib. 8. cap. 13.* Paulus *de re medica, lib. 7. cap. 24.* Actua. *libr. Method. med. 5. & 6.* Myrepſus *de antidotis. Sect. 1. cap. 185.* deſcribit antidotum, quam *diaſpolitirum* vocant, cuius duas tradunt formulas, in quarum vna plus nitri quam altera, inſerunt. Quæ copioſius nitrum continet, cum camino, pipere, ruta ac nitro ana partibus æqualibus concinnatur: quæ hac ratione, vt ſcribit Aetius *tetr. 3. ſerm. 1. cap. 22.* magis aluum ſubducit. Aliquando reliqua ſingula pari pondere miſcentur, nitri vero dimidia aut quarta pars additur. Vnde apparet ipſum Aetium, vim purgatricem ſali nitri tribuiſſe.

QVÆSTIO XV.

An Salia antiquitati medicæ veneranda calcinatione comparata perspecta & vsurpata sint.

Equidem Æginetam *lib. de remediis 7. cap. 11.* ad salium theriacalium cõfectionem viperas (virulẽtissima reptilia) sale armoniaco, gentiana, aristolochia, centaurio, cardamomo, atque id genus aliis variis simplicibus conditas, ac vndiquaque circumuolutas delegisse legimus. Deinde omnibus melle Attico in pastam exceptis ac copulatis, in ollam terream luto fortissimo munitam, cum suo operculo, tamen foraminibus pertuso, vt quidquid virulenti est, exhalet, iubet ad ignem reuerberii exponi, vt in calcem cineresque prorsus redigãtur: ex quibus cum aliarum rerum additamentis ac mixtionibus sales theriacales fiunt ac concinnantur. Quæ quidem operatio tota chymica, liquidoque arguit; Vete-

res ad exquiſitiſſima remedia, calcinationes remediorum, tanquam virtutes rerum ingeminantes ac adaugentes vſurpaſſe, citra tamen humidi primogenii deperditionem: ſimilibus calcinationib⁹ Oribaſius vſus eſt *Med. Collect. lib. 13.* de calcinatione tartari, fæcumq; aceti in olla argilla incruſtata. Dicit enim rem calcinandam in olla luto munita eſſe collocandam, tam diuq; ibi eſſe aſſandam, dum albũ colorem acquirat. Antiqui omnes de auicula troglodytes regulus quæ dicitur, docentes eam in cineres redactã, ſingulare eſſe calculi remedium. Vitrũ itidem ac ſpongiã calcinatione & incineratione vſui bono paranda iubẽt. Aetius *tetr. 1. Serm. 2.* multa ac varia ꝓponit auxilia ab antiquis deſumta; quibus illis calcinatis ac in cineres ſolutis, vti vulgo ſolebant. Atque eius ſunt verba, quæ habentur cap. 156. eiuſdem libri: *aiunt*, inquit, *cornu cerui, ſi poſt vſturam lauetur, dyſenteriam ac ſanguinis ſputum & cæliacas affectiones ſanare:*

re: ičtericis quoq; præbetur vtiliter: datur omnibus duorum cochlearium mensura. Et cap. 157. *Alii suum vngues vrunt, & cinerem colicis in potu præbent. Alii asinorum vngulas vstas, comitialem morbum sanare aiunt, si assidue bibantur.* Cap. etiam 161. *ossa vsta,* inquit *omnia discussoriam & siccatoriam vim habent: quidam tamen de hominum ossibus id maxime prædicant. Talum vtique suillum vstum, deinde potum inflationes ac tormina sanare prodiderunt. Et noui sane ego quendam nostrorum hominum, qui ossa vsta potanda dabat, ignorantibus potantibus, quid potarunt ne abominarentur. Atque sic in multis & morbum comitialem & articularem curabat.* Et cap. 163. *mergi ventrem torrefactum & sali modico admixtum, crudis bonam concoctionem facere credunt.* nec non cap. 175. *ceterum cinis cremati cancri similiter, vt alia vsta siccat: verum quadam totius substantiæ proprietate ad rabiosi canis morsum efficax est.* Quin & formam calcinatio-

nis illarum quandam explicat, quam a præceptore suo didicisse se scribit. *Patinam*, ait, *habebat is ex ære rubro, in qua viuos cancros vrebat, lignis vitis maxime subiectis, donec ad cinerem, vt commode teri possent. Atque sic semper paratum habebat pharmacum. Ex eo vero quotidie a rabido cane demorsis dabat, vsque ad quadragesimum diem cochlearium salis amplum in aquam inspergens. Si autem non in principio, sed post aliquot dies a morsu commorsi curam suscipiebat, bina cochlearia quotidie dabat, vt quadraginta dierum exhibitio expleretur.* Cap. 176. *locustæ testam vstam ac tritam cum meraco bibendam dato & aluum inferum fluxum compescet: expurgat eadem & calculosos renes, multam arenosam vrinam deducens.* Quid? Galenum in calcinatione præsertim hac, quæ fit per ignem summopere ipsum exercitatū fuisse, tum doctrina veterum ab eodem repetita, explicataque arguit, tum experientia propria, qua, nouis præceptionib. vetusta auxit, euincit, τέφραν, inquit, τὸ ὑπό-

λειμμα

λεῖμμα τῶν κεκαυμένων σωμάτων ὀνομάζουσιν. οἱ ἕλληνες ἔαν τε λιθώδη τὴν φύσιν ἔαν τε τῶν ζώων ἢ δένδρων ἦ μόρια. diſciplinæ hoc chymicæ eſt, calcẽ nominare, ꝙ ipſe τέφραν: ſiue ꝓprie dicta calx ſit, ſiue cinis. cineribus ſeu calcibus vtitur ad κονίας στακτὴν, ſeu lixiuia, vtitur ad reprimendas vires quaſdam, ad tollendum venenum in viperis & aliis. Vtitur ad quaſdam acuendas: nam vt ipſe dicit, quorundam virtutes igni augentur pateſcuntque, quorundam tolluntur. Aliquibus adhibet lotionem, aliquibus tritionem & omnino commodas ad medicandũ reddere materias annititur. Ita purpurarum teſtas vrit, λεῖοι ὡς χνοώδεις γίνεσθαι κόψας δηλονότι, καὶ σίσας πρότερον. in Cancro comburendo calcinandoque recitat Æſchrionis ſenis præceptoris ſui experientiſſimi σκευασίαν, quod ſc. cancros viuos æneæ incluſerit ollæ, vſſeritque ἄχρις οὗ τεφρωθῶσιν ὡς εὐκόλως λειοῦσθαι. Ad Piſonem ſalem theriacalem confecit calcinatione. Sed cum frequentiſſimum fuerit, hoc apud Galen. arti-

ficium, plura allegare loca, superuacaneum reor. Cui placet, legat quæ scripta exstant apud Galenum. *de simpli. medicam. facultat*. vbi de materia metallica disputat: & quæ apud Plinium *lib. 34. cap. 10. & 13. cap. 18.* eiusdem calcinationem plumbi ex Dioscoride repetit. Apud Dioscor. vritur seu calcinatur plumbum cum sulphure in olla seu catino, subiecto igni agitando, donec, vt ipse loquitur, ἀποτεφρωθῇ: quæ res nihil aliud est chymicis, quam calcinatio.

QVÆSTIO XVI.

An calcinatione humidum primogenium & crasis rei dispereat nec ne?

VT calcinationes negantur vnius modi esse, ita quæ inde prodeunt variare & diversimode affecta esse, fatendum est. Omnis calcinatio ex mixto corpore terreo est. Omnis fit vel humido absumto, siue in totum, siue quoad redigi in atoma & impalpabilia,

pabilia,

pabilia, vt loquuntur, poſſit: vel fatiſcente compage ſolutaque continuitate, & vel ſubſtantialis nexus diuellitur, vel ſolida ſaltem partium minutarum ἀδιαιρέτων, ex quibus corpora conflauit Democritus, principio chymico confiſus, cohæſio tollitur, & hinc eſt reuocabilis ſeu reductilis corpulentia, illinc non eſt. Ceterum calcinatio ſimpliciter vocata fit modo per aquas, modo per ignes. Per aquas fit corrodendo vel diluendo. Corroſio aquis vtitur mineralibus, vegetabilibus miſtis. Quæ per ignem ſeu calorẽ ſiccũ peragitur, aut comburendo perficitur, idque vel ſublimando vel præcipitando, vt fiant, ſeu cineres vegetabiliũ, ſeu calces mineralium: hocq; ſeu ſtatim, ſeu interuentu, poſtea aliorum, aeris, aquæ, mallei, molæ &c. Aut perficitur ſine combuſtione per fuſi diſperſionem: aut induratione per vaporem vel admiſtione friabilis. Si aliquo horum modorum calcinandi, perditur, vel craſis vel humidum

primogeneum, ſeruabitur integra & reducta reliquis artificii modis: Quin & artifex negabit vllo modo perire calcinationis rei calcinandæ craſin, vel diſſipari humidum primogenium. Si vno vel altero perditum ibit, accidente,& deſtructoris non artificis inſcitia eueniet. Maxima difficultas eſt, præſertim calcinatione per ignem violentum temperiem rei ſeruare integram. Idque ſolius eſt artificis periti vſu longo. In vegetabilibus factu perdifficile, in mineralibus & metallicis facilius. Si ſal redolet vires rei proprias, craſin eius deſtructam, aut humidũ primogenium deſumtum dices? At omne ſal ab artifice confectum quam proxime repræſentat naturam rei calcinatæ, effectibus in medico vſu affirmantibus. Retinebit ergo calcinatione humidum primogenium, tum craſin a calcinatione calcinatum, vel etiã hoc argumento, quod ex ſalibus multis oleoſa ſubſtantia arte eliciatur natiua: oportuit itaque ſuperſtitem fuiſ-
ſe ſal-

ſe ſaluam. Et ſal cancrorum calcinatione etiam violenta tam priſcis quam recentioribus antidotum deprædicatur ad morſum rabidi canis, ſpecifica virtute tantum virtutis poſſidens, vt virus id rabidum expugnet. Si calcinatione deſtructa craſis eorum foret, a qua ſpecifica iſta virtus, inefficax haberetur & proiectitium. Quid? ex cineribus cuiuſque plantæ, artificioſſime elicitis, plantam roſæ, roſam media hyeme vireſcentem vegetantemque ſuis coloribus ornatam, tum reliquis, quæ natiuæ ſunt, referre, in conſpectum producere poteſt præſtantior artifex. Id ne craſi deſtructa, aut humido primogenio diſiecto opinaberis?

QVÆSTIO XVII.

An ſal ex principiis vnum rerum naturalium.

CONtradicentes hoc vtuntur argumento: *ſal non poteſt eſſe principium naturalium, quod plus damni ſalia inferant, quam vtilitatis*, idque auctori-

tate medicorum: *qui salsa vbiuis ægrotantibus detrahunt, & dulcia tantum illis præscribunt.* Resp. & hoc turpe esse petere principium. Sal plus vtilitatis præstare quam damni in propatulo est, *vt superius demonstratum.* Sit tamen damnificum, anne ideo non principium statuendum? expunge ergo στέρησιν seu priuationem numero principiorum naturalium, quæ caussa est, corruptionis omnis, & tamen nobile physicorum principium. Falsum est dulcia ægrotantibus dumtaxat præscribi, & salsis interdici eisdem. Dulcibus ne putredinē fugabis? quib. adaugeri & calorē febrilē in febri omni administratis excandescere rapido æstu ꝓbati fatentur omnes medici? si dulcibus curas omnes tuos patientes, quare acetosa & refrigerātia ꝓmis, peramaris admodum ingratis vexas ægros?

QVÆSTIO XIIX.

An argentū viuū principium metallorū?

Inficiantes euincere volunt hoc argumento, quod hydrargyrus, *auctore Ari-*

Aristotele aereum potius quam aqueū non concreſcat, quod ad metallorum generationē neceſſe eſt. Obſtat ergo ſola coagulatio, quo minus principiū metallorū eſſe queat. Cōprobato illo probabitur & hoc. Mirandulanus meminit cuiuſdā, qui ſucco quodam plātali & valido igne fixauit hydrargyrū. Albertus & Buccaferreus corylo fixari mercuriū affirmant. Argentum viuū cum arſenico & ſulphure coeunt, ob ſymbolū & familiaritatem quā habent cū eo. Id monuit ex natura & arte Geber. Sulphur enim habet partes quaſdā diſpoſitas ad metallicā naturā, ſi ab eis ſeparata fuerit corruptibilis & inflammabilis pinguedo, & hoc conducit ad tincturam rubedinis. In cinnabari, ęre, plūbo, hydrargyrus natura concreſcit, a quibus arte volatilis ſeparari iterum poteſt. Et quid aliud eſt plumbum, quā argentum viuū primigradus fixionū, in metallico genere? Ideo & immiſcetur eidem perquā facile. Vin' plura argēti viui principii metallorū argumēta

metalla in hydrargyrum soluuntur. Ergo *eo constant*. Plinius lapidem hydrargyri inueniri ait, in argentariis. Dioscorides colligi hydrargyrum recitat, in fornacibus excoquendi argenti. Langius in pergamenæ virgineæ, in qua aurum fuit dilatatum effectu in vermibus occidendis, coniicit de hydrargyro, quem ipsum etiam experimur in pannis extorsorum poculorum per hydrargyrum inauratorum. Idem metallariis aquis inesse putat, ex pituitæ circa fauces in vsu earum collectione. Quæ etiam metallici mala circa caput, fauces, pulmones, neruos, cerebrum nucham patiuntur, ea potissimũ impuro mercurio debentur, ex cadinia argentifera *teste Mathesio*, sæpe percussu expellitur. Bismuthum fugit in igni, eiusdem iudicio, propter copiam hydrargyri non fixi: quod ipsum etiam confluit in doliis, & argentum reddit. Kentmannus in valle Ioachimica venam hydrargyri inueniri tradit, similem argento rubro, rudi, & aliã

fuluam,

fuluam, in qua pyrites ærosus aurei coloris positus. Idem in saxo candido dicit reperiri aurum argentosum, fuluũ in Pannonia, quod sit argẽto viuo adhuc tinctum: quemadmodum apud artifices docimastas præceptum est de auro ab hydrargyro, in quo inuenitur, separando. Sed frustra in auctoritatib. & historiis tempus consumitur, cum id adeo manifestum sit, vt negare dementiæ sit proximum.

QVÆSTIO XIX.

An chymica remedia tuta?

Affirmatur.

HErophilus morborum remedia, si ab indoctis medicis vsurpentur, venena, si vero a doctis & exercitatis, deorum auxiliares manus sapienter appellabat. Remedia chymice elaborata & κατ' ἔνδειξιν administrata tam tuto exhibentur, quam cibus & potus quotidianus. Hæc multum fæcum & substantiarum heterogenearum in se habent, naturæ partim noxiarum, par-

tim elaboratu impoſſibilium, vt propterea etiam rite porrecta & debita tum qualitate tum quantitate nihilo ſecius naturæ oneri ſint, & morborum variorum auctores. Pharmacis alchemia fabricatis nihil huiuſmodi ineſt, alieno omni probe expeditis. At periculoſiſſima ea eſſe, varioſque ægrotos præ nimia ſua in agendo violentia abſtuliſſe inquiũt oſores chymiæ ignari. Tantam quippe caloris inſiti iacturam faciunt, quantam reſarcire omnia reſtaurantia iuſcula non poſſunt. Calumnia ſunt. Quomodo enim heterogeneis liberata remedia calido natiuo officere queunt? non quantitate? quæ longe minor eſt receptis pharmacopoliorum remediis, non qualitate vel manifeſta vel occulta? vtraque enim vegetior in ruditer efformatis. Quomodo ergo nocentiora chymica? ſi talia, aut per ſe erũt talia, aut arte chymica. ſi illud, proſcribantur ex omnibus pharmacopœis pharmaca, aut minus tuta erunt hactenus ex culinis phar-

pharmacopœorum in vſum ducta. Si hoc & arte chymica noxiora fiunt, cur vſus id non probat? cur grauiſſimi & deſperati morbi iis profligantur? *Illa remedia tutiora erunt aliis, quæ citius & facilius fugant morbos. Talia ſunt chymica.* Ergo: Aſſumtum omnium chymica remedia rite adhibentium teſtimonio comprobari poteſt. Si quid minus feliciter ceſſit, eorundem adminiſtratio, non arti hacque factis adſcribendum, ſed naturæ ſingularium minus perſpectorum contumaciæ morborum, tum vtentium imperitiæ. Τοῦ τεχνίτου σφάλματα οὐ δεῖ νομίζειν εἶναι τέχνης: ſicque committere fallaciam cauſſæ tum accidẽtis. Blandiſſima remedia & medicis tutiſſima nunquam fuere venena? ruminare olim acta. Manna nunquam abortum molitus & fœtum & matrem in mortem præcipitaſti? nunquam ſyrupis benignioribus in hypercatarſin ægros abripuiſti? an propterea vere benigna remedia non tuta erunt

deinceps. Euentu noxium, per se huiusmodi neutiquam censendum. Calidiora clamitanti ideoque calido natiuo minus analoga responderi potest plus quanti habere, plus qualis: rudia remedia chymicorum quantitate esse superiora. Ergo etiam qualitatibus & calore. De correctionibus nihil est, quod obgannias: nam & hæ chymicis adsunt calor menstrui & spiritus tantũ est, vt actu inhæreat & chymicis remediis plus ardoris conciliet, vt is totus exhalet, adque eum totum proscribẽdum ablutiones per aquas conuenientes adhibeantur. Quibus vero spiritus vini sedem præbet perpetuam, caloris quidem obtinent ea plus ceteris, sed contemperata & commixta, aliis æque tuta & tutiora pharmacis, plaustrum aromatum calore ardentium pro sui correctione possidentibus.

QVÆSTIO XX.

An remedia ex mineralibus exstructa probanda & non potius pro venenatis proclamanda?

Negatur.

QVidam ex vegetabilibus ſpagyricam medicinam probantes, ex mineris terræ eruta omnia pro venenis habent, nec vlla arte eo fingi poſſe, vt tuto & citra noxam intra corpus aſſumi queant: aſſertores pro veneficis proclamantes & omni Republica & ciuitate proſcribendos. At horum virgis digna ignorantia eſt, & ruditas tanta, in quam omnis merito animaduertat magiſtratus pius & ſuæ Reipb. optime conſulturus. Magnum quippe rudentium medicaſtrorum poſtulatum eſt, ex mineris terræ non niſi venena peti. Item mineralia venena nulla arte venenoſitatem exſuere. Vtroque petunt principium. Si mineralia venenata ſunt, cur non & vegetabilia, vtpote quæ ambo ex iiſdem princi-

piis procreata? cur mineralia venenum proximis suis vegetabilibus non affricant patentissimis? Quid? præceptoribus naturæ rerum diligentioribus perscrutatoribus respondebunt, mineralia cruda, rudia venenum in se adhuc habentia ægrotis exhibentibus? Hip. *lib. de morb. mul.* θεῖον ἄπυρον asthmaticis sæpe præscribit: nec non æruginem tritam cum melle & syrmæa potione admixtam. Galenus itidem Sulphur viuum & melanthium ad dyspnoicos commendat, contra dysenteriam ne a calce viua, squama æris, auripigmento. *quo de compos. med. 7. de Compos. Med.* Simpl. & Sandaracha abstinens, *lib. de Antid. & 3. de Simplici facult.* ex celebratissima theriaca Andromachi inditã calcitidem haud expungit: florem æris intus exhibitum optime purgare corpus audacter asserens. Quid referam Archigenem, Andromachum, Aetium, Trallianũ, Dioscoridem aliosque infinitos Græcos & Arabes, qui noxia perinde atq; inno-

innoxia mineralia intus feliciter & cum laude sua exhibuere. Audiant calumniatores, quid dicat Mesue. *Ad superfluam humiditatem pulmonum & pectoris* inquit, (puto illum loqui de pulmonibus qui defatigati longo affluxu viscidæ materiæ tandem putrilaginem fere contrahunt.) *accipies arsenicum tritum ac remixtum cum vitellis ouorum, deinde accipe ferulam & incide eam per taleolas rotundas, easque illine eo medicamine, & siccentur: Sed prius illi ne tempore vsus cum seuo renum caprarum vel boum. fiat suffitus ex iis, & recipiat fumum ex infundibulo, Hoc agat aliquot dies ter de die: id siccat ac sanat. Verum si inde siccantur, nimium pulmones humescant, vsu syrupi violati & decocti ficuum: dein repete suffitum & non neglige eum, quia sanat*, inquit, Mesue. Idem agit inquit Mesue *sulphur citrinum si remisceatur cum æquali parte arsenici & seuo caprarum fiant trochisci, ex his fiat suffitus.* Veterum nonnulli etiam arsenico & plumbo non abstinebant;

aurumque & argentum adeo venenis exemtum eſt, vt etiam inter ſtomachica & cardiaca habeantur. De arſenico & ſimilibus vide trochiſcos Andromachi apud Auicennam. Item Myrepſum *de paſtillis* Nicephori & aliis: Meſuen *in medicamentario cap. de trochiſcis*, Trallianum *lib.3.ca.21. de Paſtillo Fauſtini*, Aeginetam *lib.3.cap.42. & lib.7.cap.12.* Aetium *lib.9.cap.49. & lib.8.cap.56.* Galenus præbuit æris ſquamam ad colicam. Trallianus ad hypoſarcam. Magnete Dioſcorides expurgabat craſſos humores. Quam præclare ſentiat de lapide Armeno Trallianus *lib.1. & 2.* videre licet. bitumen & nitrum Aetius clyſtere in voluulo iniicere iubet. *lib.9.cap.28.* Trallianus e plumbo medicamentum immiſit per os, id recenſente Capiuaca. Hæc ſunt antiſtitum noſtrorum venenatorum medicamentorum laudatiſſimorum vſurpatorum, quorum nos diſcipulos & ſedulos æmulos profitemur, medicamenta. Quare ſi crudis eis minerali-

neralibus venenatis vti licuit, nobis emẽdatis & veneno omni exſutis vti licebit. At illis impune & vtiliter licuit: Quidni ergo nobis? & qui venena vel venenata mineralia, ſi corpori humano præ reliquis remediis fructuoſa? *Quod corrumpit humanam naturã eamq; deſtruit, id venenatum eſt venenumque. At hæc priſcorum remedia naturam iuuere nociuis excluſis.* Ergo &c. ſunto tamen venenata mineralia nondum tamen euictum eſt, chymica mineralia venenata eſſe. *Quæcunque remedia veneno ſuo ſpagyria ſpoliantur, illa oportet eſſe ſalubria benignaque. Chymica remedia arte ſpagyrica omni ſuo virus exſuuntur, adeo, vt etiam aliam induant naturam priore depuratiorem, & quod rude, mercurius venenatus natura talis ſit habitus, iam aliud quid deleteria qualitate commutata, vtileque auxilium ſpagyria veniat.* Cur itaque veneni arguuntur calumnioſe? cur balneæ minerales & metallicæ venenorum cenſu non eximuntur? *Illud, ad quod omnibus medicinis incaſſum*

tentatis confugitur ſacra anchora deſiderabilius, tantum abeſt venenatum dici deberi, vt potius pro adminiculo nobiliſſimo ſit habendum. Eiusmodi ſunt thermæ omnes minerales metallicæ, quarum legitimo vſu, de quorum ſalute iam erat conclamatum, redintegrantur & reuiuiſcunt plerique. Ergo.

QVÆSTIO XXI.

An chymica remedia propterea venenata quod minima doſi exhibentur?

Negatur.

MVltorum hoc eſt effatum, minimam doſin καθ' αὑτὸ venenis & venenatis haud quaquam conuenire perſpicientium. Pretioſiſſima quæque ſic venenata forent minima doſi adminiſtranda? Quam exigua doſis Bezoar & Bezoardicorum remediorum; hæc venenata ne tibi? quid ergo differentiæ inter venenatorum & horum domitorum alexipharmacorũ? Imo chymica remedia minima doſi exhibita innoxia ſalubriaq; ſunt, *teſte*

omni

omni experientia; maxima & indecenti nocētia. Nota ergo vera minima dosis salubriū medicinarum chymicarū. De non chymicis medicamentis quidnā censendum reris? Ad veritatis trutinā pensitanda profer cuncta. Annon minima dosi exhibita ea cuncta innoxia? At illa chymica remedia venenata describebas? quid ergo de his fiet medicamētis. Porrige infantulo vncias duas mannæ, euentus te venenum porrexisse docebit, vnciæ semissis exhibitio legitima salutem. Nauiget igitur Anticyras tua minima dosis.

QVÆSTIO XXII.

An chymica remedia venena & proscribēda; quod summæ sint actiuitatis?

Negatur.

ALlatrantib. adeo ignominiose alchymiā diuinā, incumbit adhuc ꝓbatio quæstionis. Nondum n. ostensum est, chymica actuosiora esse aliis pharmacis Etsi daretur nō consequēs, esset tamen, eiusmodi venenata esse.

Palam namque eſt, alimenta plurima ſummæ eſſe actiuitatis, non venena tamen nec venenata, niſi cælum terræ miſcere velimus, omniaque confundere. Vinum tam eſt δραστικὸν, vt momẽto totum peruadat corpus, & longe citius vllo chymico pharmaco. An ratione ταχυπορίας venenatum habendũ? Quid de ſpiritu vini medicati & analeptici ſumma actiuitate præditi? hoc robur naturæ adfert, illud medicinæ opem fert, neutrum tamen venenatum? Quid de aromatibus nobis quotidiano ciborum noſtrorum condimento? Accedit ſi ea venenata ſunt, quorum actio eſt ſumma, venenata non erunt, quorum lenta actio. Si actiuitas ſumma, proprium adiunctum eſt venenatorum. At multorum venenorum venenatorumq; actio lentiſſima, experientia locupletum virorum confirmatur. Quomodo ergo non venena aut venenata? aut contrariorum contraria non eſt conſequentia.

QVÆSTIO XXIII.

An chymica remedia ob negatam sibi cum corpore humano similitudinem repudianda aut veneni alicuius arguenda?

Neutiquam.

SI hoc foret verum, nec vlla remedia essent admittenda, quod nullis insit vel substantiæ vel qualitatum, quibus proprie competit, similitudo. Nec opus hic vlla similitudine vel vulgariũ vel chymicorum remediorum. Quod enim corpus alterandi facultatem sortitur, id tantum abest oportere similitudinem vllam habere, vt hac affirmata medicamenti in corpus agendi vim sortiti definitione excidat. Id enim omne antipatheticum esse debet, vt antipathias nomine vitiosos ducat humores. Quodsi eam similitudinem affingere chymicis remediis velint, quam vulgaribus affictam ex Galeni mente volunt: illa tam similitudine etiam spagyria efficta agent,

quam illaborata prius agebant. Extractum enim Rheubarbari, agarici, tam ducit bilem & pituitam quam rude Rheubarb. & agaricus duxisset. nihil de similitudine sua ingenita spagyria perdito. Quamquam nullam similitudinem inter pharmaca & humores purgandos agnoscere possumus, dissimilibus potius ad se inuicem & pharmaco & humore elicito exsistentibus, de quibus alibi. de mineralibus par iudicium. Hæc enim suos quæque educunt humores, æque ac ipsa pharmaca vegetabilia. In reliquis τῇ ἀλλοιώσει καὶ τῇ ἀναλείψει consecratis, neutiquam similitudo aduersariis petita desideratur. Nam longa experientia comprobatum est, aurum ad cordis, argentum ad cerebri, ferrum ad lienis, cuprum ad hepatis corroborationem plurimum facere. Negantes redargui quotidiana auri foliorum ad cordis tutelam & a foris & ab intus præscriptione epithematibus cordis, & intro sumendis cardiacis inferendorum

rum, possunt suometque gladio trucidari. Quid eis efficacius ad lienis & hepatis obstructiones reserandas, tum robur vtrique conciliandum chalybis limatura. Saturnus vinificatus aluum tam molliter ciet, quam vix blandum eccoproticum vllum: Christallus tartari adeo renes egregie a serositatibus euacuat, vt nullum vegetabilium hidragogum felicius id præstare queat.

QVÆSTIO XXIV.

An Eccoprotica medicamenta & lenientia sola in vsum ducenda & satis πρὸς τῦ φαρμακέυσεως finem consequendum?

Negatur.

SI sola lenientia forent satis ad purgandi finem semper assequendum, omnem morbi caussam in prima corporis regione stabulari oporteret. Nã illa dumtaxat ad huius expurgationẽ dicata sunt, eamque dumtaxat lubricã & momentaneam. Colluuies aliqua sæpe anfractuosis locis immersa iacet

adeo fixe, vt ne mochlicis quidem medicamentis auerruncari etiam infinite & recte alterata, ſed alterantium vim, in intimos labyrinthos abiecta, vix paſſa queat. Si δραςικὰ remedia fruſtrantur ſuo actu, quid de lenientibus & eccoproticis ſpei? Atqui non omnis materia purganda prima corporis regione concepta hæret, ſed iam ad venoſum genus, iam ad habitum protruſa corporis, nunquam eccoproticis reuocanda eliciendaque, quod virtus cathartica minor ſit, quam vt eouſque pertingere poſſit. Etſi eouſque pertingeret, iam non eccoproticum, ſed validum haberetur medicamentum, gradibus & viribus purgandi alterum ab altero dumtaxat diſtinctum. Et cur eccoprotica medicamenta & modeſte vacuantia, vt rheubarb. agaricus, manna, folia ſenæ in vſum veniant cotidianum, reliquis validioribus proſcribendis? An quia tutiora validiſſimis? atqui manna foliis ſenæ temere & inconſiderate adminiſtratis abor-

tus,

tus, & mortem illatam nouimus. *Heurnius* Manna aluum in enorme profluuium concitatam *in Comment. Aphor. narrat*, & practicos, ex eadem idem sæpius contingere abnuere pudebit. Quomodo ergo tuta prædicari possunt remedia, a quibus periculum potius exspectatur, quam salus exhiberi? veniant & veneant a me consule ista benigna in vsum medicum cotidianũ: si demonstratum prius fuerit, horum virtutem eam esse quæ etiam remotissimas partes a cacochymia liberare facile queat: & responsum, quamobrẽ omnia pene medicamenta cuiuslibet formæ a priscis longa experientia cõprobata & propterea antidotariis Cæsarea & Regia auctoritate ab hinc millenis annis confirmatis, mandata validissimis medicamentis scammoneo colocynthide, elaterio euphorbio, turpetho &c. sint aggesta. Dices acuminis ergo validissima ista ingredi remedia. Quid acuminis inde iis, num ad alui subductionem? satis itaque non

erunt eccoprotica ad purgandum. Si debiliora ad aluum ciendum, quid ad venoſi generis & habitus corporis catharſin? plurimorum baſin conſtituũt validiſſima iſta pharmaca, non acuminis ergo, minimam doſin eorum exigentis, ſed vlterius quia progrediendũ & efficacius perquirendum, quod nociuum latitat in remotioribus, benignorum virtute cathartica ad proxima dumtaxat cienda natorum, neutiquam proliciendum.

QVÆSTIO XXV.

An Rheubarbarum, folia ſenæ, manna, agaricus &c. benigna vocitata & habita medicamenta, veneni expertia: validiſsimis, vt colocynthi, elaterio, helleboro diagrydio veneno adiudicatis?

Affirmantes magno conatu maximas nugas dicunt, debacchantes more ſoleñi: omnia ſibi venena, venenorum ſcilicet domitoribus peritiſſimis non putata, ſed ſcita quibus argumentis τῷ αὐτὸς ἔφα: prætoria poteſtate, ornati iubetur credi enunciatis, ex tripode

pode Delphico profectis videlicet. Sed maneant asini apud Cumanos. Iure autem quæritur: *qui fiat, quod valida medicamenta deleteria aliis & venenata, venenata sint, & benigna venenata qualitate carentia?* si propter noxam, q̃ corpori inferunt humano, talia sunt censenda, quare benigna absoluuntur corpori æque nocentia? κατὰ συμβεβηκὸς, hinc detrimentum cõtingere si dixeris, idem illinc vsu venire inferã vicissim. Per se omnia hactenus recepta pharmaca vsui fuere corpori humano, educendo noxios ex eo succos καὶ τὸ φλέγμα φυγγάνειν καὶ τὸ χολαφυγγάνειν καὶ μελανφυγγάνειν, hoc solum discrimine, q̧ hæc leuiori, illa validiori & vectoria quasi vi suas exsequantur actiones: vt τὸ καθαίρεσθαι omnibus in se considera-tis commune, nec quibusdam eorum, licet ad peculiares humores ciendos definita sint, toto genere euarians. Nam qua virtute Rheubarbarum ciet humorem noxium, eadem & diagrydium vtrumq; habitum cholagogũ

hoc tamen venenatum, illud benignum. Atqui cathartica facultas vtriusque eadem, effectis id euidenter edocentibus iisdem, nisi quod illius facultas maior, huius minor; quod toto genere discrepantia non efficit, qualia forent, si alterum venenatum, alterum non venenatũ haberetur. Quid? *quod corpori humano salutiferum est, id venenatum esse nequit. Validiora medicamenta corpori humano in recessu maxime morbificas caussas fouenti sunt salutifera, illis innoxie eiectis.* Ergo. Venenatum, qua venenatum nunquam saluti corpori humano esse potest: si potis est, exuunt naturam veneni. Hoc enim definitur & *venenatum omne, quod naturam destruit humanam, huicq; deleterium est.* Atqui *medicamenta valida deleteria non sunt humanæ naturæ, qui* ergo *venenata?* Correctiones validis istis medicamentis a veteribus aggregatæ tãtum, non arguent venenositatem illis inhærentem, quam non euincant benignioribus adiectæ eædem. Alius

gratia

gratia emendantur ambo, nō vt exsu-
ant venenositatem, si qua eis foret (&
quomodo exsugerent integra in se per-
manentia & nullatenus retusa, nude
compositis saltem castigatoribus) sed
vt partes, ad quas appellunt, aut inof-
fense permeent, aut languida vis pur-
gans sollicitetur, aut effrenis refrænе-
tur. Sed & posita venenositate quadā
illis pharmacis inhærente, si eam arti-
ficiosa præparatione apud medicos
passim obuia deponunt, purgandi fa-
cultate sola, salua relicta nihil habent,
quod venenato suo ore exspuāt in va-
lida ista medicamenta iam artificiose
& salubriter confecta. Symplomata
ex prauo eorum vsu obtingentia ad-
ministrantibus sinistre potius adscri-
benda quam drasticis illis medicamē-
tis, quæ κατὰ λόγον porrecta, tantum ab-
est, vt pariant eiusmodi symptomata,
vt ea feliciter auerrūcatis eorum cauf-
sis, tollant, benignioribus non modo
non cedentia, sed eorum infelicem o-
perationem haud raro comitantia.

Conceſſis quin etiam non modo inde procreatis lethalibus ſymptomatibus, ſed & morte ipſa illata, nullum tamen conſequens eſt, ea idcirco venenata æſtimare, niſi vinum & alia edulia pleraque nutritioni & ſaluti hominum nata venenoſitatis damnare velimus, quibus per ſe ſaluberrimis, ſed perperam adhibitis atque aſſumtis, non ſolum grauiſſimos ſoboleſcere morbos, ſed & ipſam ſubſequi mortem contingit. Hippocrat. medicorum anteſignanum taceam, cui Hellebori, pepli, &c. venenatorum iſtis medicamentorum vſus fuit frequentiſſimus, nec noxius in regione feruente, & febribus ardentibus promiſcue licet adminiſtratorum docentibus; id. *lib. Epidem.* Meſuen mittam Helleboro tam diuinas adſcribentem virtutes, vt panaceæ loco iure haberi queat.

QVÆSTIO XXVI.

An deſtillatione vis purgans pereat?

Affirmantes recedere aiunt, diſtillando

lando temperiem pharmaci purgãtis, a qua ſubſtantiæ ſit ſimilitudo efficiẽs cauſſa purgationis. Vtrobique petunt principiũ. Falſum enim eſt diſtillãdo temperiem rei purgantis tolli, falſiſſimum ſimilitudine ſubſtantiæ vim catharticam perfici: prius nude aſſertũ obiter negari poſſet. Ne autem quidquam vel affirmemus vel negemus, etiam aliis ſine ratione vlla aientibus, temperiem rei purgantis tolli nõ poſſe negamus. Diſtillaturus catharticum artificioſe aut id per alembicum pellere ſatagit, aut humi ſidere. Neutro modo laboraturus craſin fugat. Hæc enim accidentarium non niſi ſubiecto inſidet ſuo, cathartica craſi inſtructo. ἀχωριστὸν ergo. Quocunque ergo agatur, ſequetur ſuo comite ſubiecto proprio. ſi ſe ſurrigit virtus cathartica, fierine id reris, craſi eius recedente? ſi hoc, negabis ne purgandi facultatem ſuperſtitem? documento ſint tibi extracta pleraque quæ digeſtione ſpagyrica, alio menſtruo elicita aut

perdunt crasin aut eandem tenent, si nõ integram, at quadantenus immutatam, salua tamen vi purgatrice. Si hoc extractionis modo purgatricem facultatem non exsuunt, intime operosius passa quomodo destillando ea spoliabitur? destillatione, nunquam id virium habente, quo possit sola crasin, compage corporis soluta destruere. Verum enimvero temperie purgantis recedente, & corpore agentis corrupto & peremto, manare qualitatem nihilominus in aliud corpus, vt tamen ista qualitas perduret & diffundat sese latissime, exemplo lactis capræ & aliorum vegetantium vim habentium purgatricem demonstrari potest. Quamquam & vulgaris purgant, Syruporum & decoctorum coctio ebullitioque abunde probet, vim purgantem istis culinariis decoctionibus neutiquam deperire, nec crasin etiam purgantium eisdem auferri, etsi etiã ea ipsa coctura euanescat: falsum hinc nihilonimus constabit, distillatione

one temperiem abire, aut verum illa dissipata, purgatricem vim integram persistere. Verum argui hoc ratiocinio patebit. *Si valido & violento igni purgans coquendo, vim suam purgandi nõ perdit, minus eam amittet, leuissimo igne distillando purgans. Prius misochymici ipsimet asseuerant. Ergo.* Posterius perquam absonum est, temperie, substãtiæ similitudine determinata fieri purgationem. Nam medicamentum purgans interdum substantia sua rarum, leue, spongiosum friabileque est, vt optimum in suo genere tale deligitur, vt agaricus. Atqui ab eo attrahitur & educitur humor grauis, viscidus, lentus, compactus, minimeque friabilis est: nempe pituita, quæ isthæc in se omnia complectitur, vt sensus demonstrat. Quæ ergo similitudo substantiæ agarici cũ attracta ab eo pituita? quod si dicas temperamento & qualitatib. elementarib. pituitæ agaricũ similem esse, nihil profecto tale inuenies. Est namque agarius calidus & siccus, vel

Dioſcoridis, Galen. & Meſue & omnium medicorum ſententia, pituita quã attrahit, frigida & humida. Agaricus ſapore amarus: pituita dulcis, acida, inſipida, ſalſa, nec vnquam vlla amara eſt: Agaricus in alimoniam verti non poteſt. Pituita nullo negotio poteſt, ob id illi natura nullum receptaculum, quod veluti ex dimidio coctum alimentum exſiſtens, non vtiq; vacuari, ſed alterari, ac confici in corpore manens deſideret. Quæ docta Galen. *lib.2.de Naturali facultate ſent.eſt.* In quo ergo agarico cum pituita conuenit. De purgantium reliquis ſpeciebus par eſto iudicium. Si ſimilitudine ſubſtantiæ purgabunt, ſimilia erunt ſibi inuicē. Nam ſimilitudinis relatio inter ea eſt, quæ ſunt prædita ſpecie eiuſdem qualitatis. Vt æqualia, quæ prædita ſunt vna ſpecie quantitatis, & eadem ſunt atque dicuntur, quæ prædita ſunt vna eademque ſubſtantiæ ſpecie. Nihil vero eſt, quod ſimilitudinis cauſſa habere aut trahi poſſit, id eſt

agere

agere & pati queat, propterea quod inter ſimilia actio & paſſio nulla ſit; quare nec ſimile purgare ſimile poteſt, cum purgare ſit actio quædā, purgari vero ſit paſſio. Annon deſinit actio & paſſio, quando patiens ſimile euaſerit agenti?

QVÆSTIO XXVII.

An eſſentiæ chymicorum elementaribus qualitatibus ſint exſutæ?

QVod συςοιχειώσει conflatum eſt, arte nulla per ἀναςοιχείωσιν ad eam eſſentiā perduci poteſt, quæ ſit erpers omnis elementaris τῦ πάθυς, & non referat naturam principiorum ſe conſtituentium. Atqui eſſentia chymica ex elementatis elicitur, quidni ergo naturam eorum retineat non adeo craſſam & ſordibus multis onuſtam, at certe defæcatam & depurgatam. Spiritus vini non ignobilis chymicorum eſſentia, tantum abeſt, vt omnem abiecerit naturā elementarē, vt ardeat inſigniter, & calorē obtineat

flagrantem cum ſiccitate. Pleraque eſſentialium intenſo hyemis frigore conglaciant, vt ideam eſſentiarũ perdidiſſe videantur redeuntium ad ſe, tamen caloris beneficio eiusmodi ſunt, Balſamus, Saturninus, oleum Camphoræ, eſſentia colocynthidos, quæ æſtiuo tempore ab aura frigidiore, ſuo congelationis modo concreſcunt: & ſaturninum oleum ſæpe in ſolidam abit glaciem leui frigoris vi. Quandoquidem igitur ab elementis afficiuntur, neceſſe eſt his homogenea eſſe & compati: quæ enim generibus diſſentiunt totis: non ſe afficiunt mutuo. At eſſentiæ chymicorum viribus & qualitatibus elementorum afficiuntur. Itaque ab ipſis elementis. Non ergo omnem deponunt eſſentiæ chymicorum, elementarem naturam, ſed participant ea, ſed omnium nobiliſſima & ſpecifica.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIIX.

An chymica remedia extracta vocata ob caliditatem, quam acquirunt operatione chymica, in calidioribus morbis vt febribus, conueniant?

EXtracta ineptientibus quibuſdam miſochymicis, vere ſunt calidiora, quam vt conueniant febrientibus. Non eſt tamen acutus morbus ſine febre. Vere enim cathartica, eo quod ſint calida, ſolent a nobis aliquo refrigerante temperari: Rheubarbarum exempli gratia, quia calidum & ſiccũ, hepatis calidioris mors eſt, niſi refrigerantibus temperetur. Vos tamen paratis illius extractum cum aqua vitæ. Ergo &c. Tantum chymiatriæ adverſantium. Includantur ſyllogiſmo medicaſtrorum illorũ ineptiæ. *Quod iuſto eſt calidius pharmacum, id æſtu flagrantibus non eſt porrigendum. Extracta chymicorum calidiora ſunt quam fas ſit.* Ergo. Connexum negatur. Propoſi-

tio namque ſi omnia calida negaret in morbis feruidis adhibenda, ne purgatio quidem vlla facienda, vt quæ ex calidioribus purgantibus quam maxime conſtare ſolet, nec ſyrupi alterantes, nec pulueres & alia calidis conflata adminiſtranda, caliditatis metu. Quare Hippocrates, Galenus, Græci medici, peplo Helleboro, Hiera, pachii, diaphænicone & de ſucco roſarum febribus ardentibus pleuritide grauiſſima correptis creberrime vſi caliditatem ingentem eorum reueriti ad frigidiora non conceſſere, & nobis præceptum proponentes, calidioribus valedictis alſioſis vtendi? Equidem ſi indicans cholagogum indicat aut phlegmagogum, vtrumque autem ex calẽtibus prope conſtitutum ſit, nonne ad exſecutionem indicãtis caliditate purgantium minimum diſſentiente, aut contra indicante peritus depromat indicatum, primo & per ſe? exſuperans pharmaci calorem tantũ abeſt, adiicere aliquid feruoris ad æſtum febrilem poſſe,

posse, vt potius sua caliditate medicinali eum expugnet obtundatq; Non enim simplex calor pharmacis inest, & febrilis, sed cũ purgante virtute sua ipsimet calori putri contrarius mixtus & medicinalis. Vt non tam caussis feruentium & putrium morborum morbificis deiiciendis sit efficax tale pharmacum, ideoq; ex accidente frigidum potius æstimandum, quod calore suo tali, non putri, febrilem & putridã dyscrasiam exstinguat. Febrium curatio non tam in purgatione cacochymiæ putris quam alteratione eiusdem & dyscrasiæ febrilis cõsistit. Vtrunq; neutiquã frigidis perficitur solis: alioquin satis foret aqua quæuis gelida: sed & calidis imo calidioribus tum simplicibus tum compositis, veterum & recentiorum pragmaticis voluminibus id contestantibus. Alterantium febrium catologo accensentur, centaurium card' benedictus, gentiana, absynthiũ, omnia calida ad 2.3. gradum, nihilo secius tamẽ alterandi vi eximia

affecta, non quidem caliditate vel frigiditate sua, quæ eis nulla est, sed peculiari virtute ex mixti crasi in febrium internecionem tota conspirante, æstũ febrilem restinguendi & putredinem coercendi. Assumtum imperitiã notat puerilem artis chymicæ. Si enim Vulcanicam officinam eminus saltem conspexissent, non toties in petitionẽ principii turpiter impingerent. Extracta quibusdam eliciuntur menstruo spiritus vini, cuius tamen operatione peracta, ne minimum quidem remanet, quod non separatione fiat euanidum. Si quod etiam superstes foret empyreuma, id totum correctionibus per ablutiones artificiosas tollitur. Quin etiam restagnante portione spiritus vini, extractioni adhærentis, nihil tamen feruoris aut incrementi caloris febrilis esset inde metuendum. Quod spiritus vini non vulgari virtute polleat putredinem cohibendi calidissimus licet: tum ille ipse leptomeria sua momento citius euanescat, quã

vt

vt fixo pede vllam noxam inflammandi inferat internis. Iam vero palam est, menstruum extrahendorum neutiquam vniusmodi esse, sed artificibus nunc spiritum vini, sæpius aquam appropriatam extrahendis affinem iterato distillatam, quæ non modo nullũ calorem feruidum extractis afflant, sed, siquem possident, nociuum aut aliquid aliud alienum, quam longissime eliminent. Vt sic parata medicamenta chymica longe pluris æstimanda tutioraque habenda ipsis vulgaribus Syrupis, melle & saccharo, vtroq; ad putredinem & æstum febrilem permultum facientibus, inflammantibus, obstructionemque bile adaucta, (mel enim & saccharum quam citissime in bilem picrocholis, præsertim quales sunt pene omnes febricitantes, facessit) fixantibus. Vere cathartica calidiora frigidis temperari hactenus ignoraui, secus docente Mesue & ex priscis medicis peritissimis quibusuis. Rheubarbarum spica calidiore se corrigi-

gitur: aloe, cinnamomo, caryophyllis, ſpica, nuce muſcata; agaricus, turpethum, folia ſenæ, zingibere; quæ omnia & plura corrigendis iſtis pharmacis decreta antiquitus nihil quidquam frigiditatis tenent, nec temperationis in ſerapiis quicquam, melle & ſaccharo refragrantibus, aut refrigerii accipiunt. Hepati calido & ſicco Rheubarbarum mortem eſſe non frigiditate afflatum haud dixerim. Medicorum cohorti toti hactenus habebatur anima hepatis, Rheubar. abſolute conſideratur, iam mors eſt. Quomodo? non caliditate & ſiccitate, his enim qualitatibus neutiquam hepaticum eſt Rheubarbarũ, alioquin quoduis tale hepaticum foret: tota itaque ſubſtantia, ob quam appropriatũ medicamentum hepati hactenus eſt habitũ. Omni itaque hepati qualicunq; dyſcraſia affecto anima erit Rheubarbarũ non mors: niſi neges, appropriatũ medicamentũ illud. Habetur & ob id hepaticũ Rheubarb. ꝙ proliciendæ

bili

bili sit consecratũ ab hepate calidiore & ſicciore abundantius prognatæ, quã in aliam & contrariam intemperiem abrepto. Illa colluuie cholerica exhauſta Rheubarbari hauſtro hepar dyſcraſia calida & ſicca ſua, nonne quadantenus abſoluetur, & ſuæ integritati reſtituetur. Quare ergo mors Rheubarbarum talis hepatis?

QVÆSTIO XXIX.

Alterantia ne medicorum primis qualitatibus definienda?

MOrbos frigidos calidis remediis oppugnãdos aſſerentes, volunt & calidos frigidis lege τῆς ὑπεναντιώσιος, ſimplices elementorũ qualitates ſolũmodo intelligẽtes. At ſi morbus ſimilaris ſimplici qualitate eſt retundẽdus, cur nõ reiectis ſimplicibus & cõpoſitis remediis alterandi facultate præditis, ipſamet elemẽta in vſum therapeuticũ producimus, longe excellẽtiori alterandi virtute pollentia, ipſis elementatis? febris calidus & ſiccus morb⁹ eſt, ſed non ſimplici caliditate & ſiccitate

elementari determinandus, quod affectus ſit præter naturam cordis extra naturæ ſuæ lineam abeuntis in calorẽ præter naturã febrilem abrepti. Dyſcraſia hęc ſimplici calore elementari ſiccitate ſimplici ſocia non poteſt definiri, quod hæc ſimplicibus competant elementis mixtione vacuis: cor autem certa craſi tum forma ſubſtantiali eſſentiam cordis conſtituente dotatum eſt,& iam præter naturam craſi violata in dyſcraſiam febrilem nutante affectum: quæ febrilis dyſcraſia quia nõ ſimplex & elementaris caloris exceſſu deſcribenda, ſed talis & febrilis cenſenda, ideo etiam omni ἐνδείξει indicante, ſuum contrarium non ſimpliciter refrigerantia, ſed talia refrigerantia, quæ mixtorum ſunt & acore vel qualitate mixta & febrifuga virtute aduerſantia iudicata decernuntur, veluti acetoſella, roſæ, nymphea cichoreacea, cuncta, ſyrupus acetoſus ſimplex, Oxyſaccharum &c. tum alia quæ ſpecifica virtute febrilem dyſcraſiam expu-

expugnant non primis qualitatibus conformi, ſed certo mixtionis modo prognata. Quomodo namque primis qualitatibus ſimilis illorum qualitas virtuſque, effectu alio conſequente & docente, aliam refrigerandi qualitatẽ, aliam humectandi, aliam ſiccandi elementatis ineſſe, quam ſimplicibus ineſſe elementis deprehenditur. His ſuæ ſunt qualitates, quas in mixto quolibet alterari neceſſe eſt, & ex alteratorum vnione mixtum conſiſtere. Si itaque mixtio τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων eſt ἕνωσις, quomodo mixtum primis qualitatibus in mixto iam aliis (quia ἀλλοίωσιν paſſæ) determinandum? Hippocr. de Veteri Medicina: *Si dixerit aliquis*, ait, *qui a cauſſa febricitãt, vel qui peripneumoniis inuoluũtur, aut aliis validis morbis, non facile caloribus liberantur, nec hic frigidum aduerſus calidum ſe erigit.* Atqui ego hoc ſignum Syllogiſticum eſſe exiſtimo quod non a ſolo calido abſolute homines febricitent, neq; hoc ſit vnica afflictionis cauſſa: verum idẽ

eſt vna amarum & calidum, aut calidũ & acidum, & ſalſum & calidum & alia innumera, eademq; ratione frigidum cũ aliis facultatibus conſociatũ. Vt nemo neſcire queat, mixtum qua mixtũ nunquã poſſe ſimplicibus iſtis qualitatibus elementaribus eſſe affectũ: quod alterationes paſſæ multifariam in vnã iam rei naturalis craſin conſpiratione facta coeant, hac vel illa virtute totius exſplendeſcẽte, quæ nec huius ſit qualitatis, nec illius exſuperantis etiam. Nam & prædominans a mixtione qualitas mixti mera & vniuſmodi eſſe nequit, ſed ex alteratorum vnione alia euaſit mixtioni cognata: ſi miſtio τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων eſt ἕνωσις, *de ortu & interitu*. quid alexicaca? quæ vim alterandi malignitate edomita a primis qualitatibus minime obtinent, ſed ex totius mixtione craſique reſultantem. Ita & de tota alterantium bilis flauæ, atræ, pituitæ ſanguinis extra naturæ lineam abreptorum farragine omnium ſimplicium quidem, ſed mi-

xtione

xtione mixtas virtutes, qualitatibus multum perpeſſis non affines exſurgentes, poſſidentium iure iudicandum.

QVÆSTIO XXX.

An pereunte forma ſubſtantiali craſis, facultatum medicarum cauſſa principalis ſalua maneat?

QVi hoc aſſeuerare auſint, craſin rei naturalis formę ſubſtantialis mixtum conſtituentis vicem obtinere opinantur, ei omnes ſpecificas ἰδιότητας adſcribentes eaſque ſaluas permanere ſubſtantiali forma exſulãte. Verum n. vero cum omnis craſis qualitas ſit aut ex qualitatibus quiddam compoſitũ, id autem accidens, cuius nullius eſſe poteſt, conſtituere ſubſtantiam, mirũ accidenti craſi principiorum naturam tam temere adſcribi, cum principio per ſe ingenerabili aſſerto *in Metaph. Ariſtot.* Idem 6. *Metaphyſ.* demonſtrat formam ipſam cõſtituentem eſſentiã rei, neque elementum eſſe, neque cõ-

positum quid clam ex elementis, sed esse principium quod respectu materiæ μορφῆς habeat appellationem, sed respectu generationis habeas rationē finientis caussæ. Quo euidens est crasin propriam non esse formam rei naturalis, nec posse esse sine forma, nec formam sine crasi, & ambo tamē hæc toto genere discrepare. Crasis quidē forma mixti dici potest, sed non substantialis, quod illa exsultet ex qualitatibus, quibus alteratis fit crasis, non substantialis, qualitatum enim non est constituere τὸ δέ τι. Quin etiam hoc argumento liquet, crasin non esse ipsam formam, seu naturam rei, cum crasis dicatur *secundum naturam inesse.* At quę secundum naturam insunt, non sunt ipsa natura: differunt enim secūdum Aristotelem Natura, res naturalis, & quid secundum naturam inesse dicitur. Quare forma substantialis rerum naturalium animatarumque, licet pereat, proprietatibus & crasi incolumi superstite: Consequens tamen non

non eſt, res iſtas exanimatas ſola conſtare craſi & accidente, cuius per ſe ſubſiſtere, & ſubiectum aliorum eſſe, per quam abſurdum, ſed vegetatiua abolita, naturalis forma reſtare poteſt, mixti eſſentiam conſtituens. Ariſtot. *Metaphyſ. lib.* ϑ. diſtinguit materias & formas rerum naturalium. Quædam enim eſt prima, in qua potentia eſt, vt poſſit omnibus ſubiici. Alia eſt vltima materia ſeu vernacula quam ἐσχάτην & οἰκείαν nominat ὕλην. Ea nõ niſi vni formæ ſubſtantiali ſubiicitur, & cum forma hac ſimul eſt & ſimul interit. Deinde alia materia eſt, quæ præcedit generatione formam vltimã, quæ ſimul eſſe nequit cum vltima materia, ſed materia vltima informata perimitur, priorque forma in materia aboletur & perit: vt ſi fiat ſanguis, forma chyli deſinit, & quando fit caro ex ſanguine, ſanguinis ſpecies deſinit eſſe in materia ſuccedente carnis. Sunt autẽ quædam formæ γενέσει priores in corporibus animatis, quæ poſterioribus

& perfectis formis, quæ nimirum sunt species & naturæ prouenientes & propagatæ ab anima ipsa in similaribus partibus, quæ non posteriorib. formis abolentur & pereunt, neque formis corruptis, ipsa etiam intereunt, habẽtque rationẽ quasi materię mediatę respectu perfectarum formarũ? Harum formarum species & essentiæ non animatione, sed quadam quasi συμφύσει elementorum describitur, cuius formæ interitum Aristotel. appellat putredinem. Talis forma est partium animalis similarium, vt forma inanimatæ carnis, quæ γενέσει vt præcedit animatã carnem, & animatione hac non perimitur, ita, nec quando amiserit naturã animalis carnis etiam non perimitur natura ipsius prior. Propterea aliæ formæ dicuntur posterius fieri & quasi successione quadam perfectionis, vt posterior non perimat priorem formam, sed eam perficiat: vt si forma carnis viuæ perficiat formam præcedentem carnis, quæ συμφύσει elemen-

torum

torum definitur, & propter quam ſub-
ſtantia carnis non morti ſed putredi-
ni ſubiecta eſſe dicitur. Quamquam
igitur vegetatrix anima perimatur re-
rum exanimatarum naturalium, nihil-
ominus nõ amittit ſpeciem illam ſub-
ſtantiæ, quam diximus cauſſam eſſe,
συμφύσεως, vt ſtirps vel herbæ expertes
animæ, quæ prius animatæ fuerunt, nõ
amittentes tamẽ naturas ſuas, quibus
vtilitatem aliquã nobis exhibent (quã-
doquidem Ariſtotel. inquit, hominis
quodammodo ſunt finis, gratia quorũ
inferiores res naturales ſunt conditæ)
vel reſpectu nutritionis, vel quoad me-
dicamẽti rationẽ habeãt. Id vegetabi-
lia vegetari deſinentia, & vegetatrice
orbata euidẽter demonſtrãt. Sit docu-
mento ipſum Rheubar. ꝙ vegetatiua
anima priuatũ, nihilominus facultatẽ
medicã integrã retinet, purgandi bilẽ,
quam amitteret ſane protinus, a vege-
tationis principio nata ea facultate. At
quia ſupereſt, illa peremta alius prin-
cipii & quidem naturalis facultas ſit,

neceſſe eſt, non craſi adſcribenda primo, quæ non niſi organice in quouis mixto ſe habet, ideoque principali cauſſa abſoluēda & ſuo oppoſito permutabilis exſiſtit, quod accidēs ſit ſubiecti. Quaſdam arbores frugiferas & alias infrugiferas eſſe conſtat, eiuſdem ſpeciei exſiſtentes. Herbas item nonnullas in quibuſdam regionibus quoſdam ſapores & vires medicas habere, quas tamen in aliis regionibus nō habeant, propter differentiam terrarum & cœli ipſa craſes rerum naturalium commutantium. In Gallia quoddam abſynthium naſci dicitur, expers amaritudinis ex craſi manantis. In Cyrenſi regione traditur naſci arum, quod inſtar rapi eſui ſit, cum tamen in aliis regionibus propter acrimoniam ne guſtabile quidem exiſtat, & in Perſea, arbor Perſea venenatum fructum ꝓducit, quæ ſi in alia regione proferret fructum, eum ſalutarem & innoxium eſſe manifeſtum eſt. Inde craſin rei naturalis commutari labefactarique poſſe,

posse, salua re naturali & forma non contra, nec potentias essentiales permutari posse incolumi substantia, liquido patet. *Quod autem suscipit oppositum salua substantia, id forma substantialis eiusdem esse nequit. Crasis sustinet oppositum incolumi subiecto: nam non modo venenatam naturam commutat, non venenata fœcundam sterili, sed & alias qualitates crasios permutat aliis. Ergo.*

QVÆSTIO XXXI.

An alexipharmaca ad venena sint reuocanda?

Negatur.

SI *alexipharmaca sub venenis continentur, alexipharmaca non erunt antidota venenorum. At sunt antidota venenorum. Nam ideo indigitantur alexipharmaca.* Ergo. Ratio propositionis hæc est: *homogenea contineri homogeneis demonstrāte logica. At quia alexipharmaca non sunt homogenea venenis, neutiquam possunt sub eis censeri.* Aliis alexiteria secluduntur a pharmacis adiumenti genere: Cum

tamen in eodem genere ponenda videantur, & venena & alexipharmaca, quia contraria ſunt homogenea ipſis contrariis ſibi inuicem neutiquã ſuccenſendis. Cur ergo alexiteria ad venena reuocanda? An quia venena cõtinent? Quomodo? pleraque ſunt antidota, & quamquam inſunt quædam venenatorum, tamen tantum abeſt, vt naturam ſuam retineant, vt potius artificioſa mixtione retuſa tot antidotorum congerie exſuperãte, omnem exſuãt venoſitatem. Quomodo ergo veneni conſortia? Quin negandum omnino, alexipharmaca admixta habere venena ſibi: Si carnem viperinam, ſi opiũ admiſta theriacæ mithridatio celebratiſſimis antidotis dixeris, eadẽq; venenata pronunciabis, toto erras cælo, quicunq; es affirmans, nec vnquam aſſertum probabis tuum. Niſi venenũ bonum & ſalutiferum, & hoc illud cẽſueris ſtolide. Admiſta ſint & plura venenata errore auctorum & miſcentiũ antidotorum ſeu alexipharmacorum:

quia

quia vero hæc vſu longo probata ſunt, & prædicata talia venenata oppugnãtia, ab effectu ſane argui oportet, partes τὰς συςαλικὰς, heterogeneæ licet, tandem conſpiraſſe in naturam totius homogeneam & alexipharmacam, more miſtorum naturalium, quibus contraria componentia ante miſtionem diſſona, iam concordant vnanimiter, vnione miſtilium peracta. Quare alexipharmacis venenorum antidotis affirmatis, negari neceſſe eſt, has ſub illis contineri: niſi falſum ſub vero, aut hoc ſub illo contineri ineptiſſime velis, aut nigrum aut album, hoc ad illud reuocare.

QVÆSTIO XXXII.

An Rheubarbaro cum bile purganda tanta ſimilitudo, vt ſi fruſtretur ſuo actu vt in ſubſtantiam humoris purgandi tranſmutetur?

HAud nouum hoc miſochymici effatũ, ſed ab antiquitatis coryphæo

exſuctum. Quam facile autem affirmatum eſt hactenus, tam facile negari poteſt. Quandoquidem autem me negationis ſimplicis pudet, ideo aduerſario hocce diluendum propono. Si ſimilitudo Rheubarbaro eſt cum bile, ea erit aut ſubſtantiæ vtriuſq; aut qualitatum, quibus ſimile proprius cõuenit. Ariſtot. *teſte lib. 5. Metaph. cap. 15.* ὅμοια ἐστιν ὧν ποιότης μία. non ſubſtantiæ: quia diſcrepant. Rheubarbarum vegetabile eſt materia, & formabilis non eſt, ſed humoris ſeu ſucci nomine dũtaxat comprehenditur, vegetationis omnis expers. Non qualitatum; nam, licet Rheubarbarum calidum & ſiccũ, & bilis ſimiliter affecta habeatur: certum tamen eſt, aliam eſſe caliditatem Rheubarbari, aliam bilis. Neganti reſpondebit effectus vtriuſque diſſimilis. Vnde acrimonia mordacitas, bilis, a Rheubarbaro exſulans. *Si vtriuſque ſimile, quale: vtrius qualis ſimilis effectus. Sed hoc non.* Ergo *nec illud.* Porro ſi adeo ſimile eſt Rheubarb. bili & hæc illi,

cur

cur non tantum opis præſtat bilis peccans ſibi ipſi, quantum Rheubarbarũ bili peccanti in ictero, hepatis obſtructione &c. maxime cum quantitate dominatur? Cur indiga præſidiario ſimili, ipſamet ſat firma & quãto & quali? fruſtrata ſuo actu in ſubſtantiam humoris purgandi, tranſmutari Rheubarbarum ais. Alchymiſtam miſochymicis agit mira metamorphoſi. Quis eſt iſte actus Rheubarb. quo ducit bilẽ ſibi ſimilem? Actus totius erit; non ergo ſolarum qualitatum, quibus per ſe ſolis nulla competit actio naturaliter, quia accidentia. Nec poſſet actus iſte Rheubarb. a bilis eſſe qualitatibus caliditate puta & ſiccitate. Sic enim omne binis iſtis qualitatibus dotatũ bilem cieret, quod vanum. Actio ergo totius & propria. Si ergo ſua propria actione priuatur, qua ad bilem affecta eſt ſimilitudine, qui impedita actione hac in ſubſtantiam humoris ciendi cõmutabitur? An beneficio alius. num qualitatum? his nulla fit tranſmutatio,

ſed alteratio. Ergo *ſubſtantiæ?* Nec huius? Nam actu proprio ducendi bilem impedito, etiam impedietur idē tranſmutandi ſe in ſimile, quod ſit hic cum illo vnus & idem. Et quæ ſimilis in ſimile tranſmutatio ante ſimilia? cur Rheubarbarum in bilem mutatur, actione ciendi præpedita, & non vice verſa? Quare bilis a Rheubarbaro in ventrem ducta non tranſmutatur, vel hoc in illam? Vt concludam: ſi Rheubarbarum ſuo actu fruſtratum in humoris ducendi ſubſtantiam transmutatur, aut ſubſtantia ſua, aut virtute tranſmutabitur. At illa ſæpius non exhibetur, ideoque nec hac tranſmutabitur ſemper. Virtute ergo? At hæc ſpiritualis ſuo orbata ſubiecto, alieno inſidens. Non ergo in corporale mutabitur. Nec virtute poteſt, quod ſit impedita, & quia fruſtrata, ideo transmigrandum ſibi in ſubſtantiam bilis. At non poteſt, quia virtus virtute caret, quoad actum. Subſtantiam exhibitam Rheubarb. & impeditam

peditam suo actu tamen transmutari oportere in substantiam bilis, fabulæ similimum. Si enim cibus cholericus non sine antecedente alteratione nec totus in bilẽ abit, multo minus Rheubarbarum, quod nec cibus, nec vnquam concoqui a natura potest, vt nutrimentum. Si potest, non medicamentum, sed vel nutrimentum vel medium. Expungatur ergo ex censu medicamentorum chologogorum. Sed satis.

QVÆSTIO XXXIII.

An parua dosis medicamenti nota veneni aut medicamenti venenati.

SI minima dosis Pharmaci argumẽtum venenati remedii consentaneum & verum, erit proprium eius adiunctum, vt hoc posito, & illud necesse sit poni. Atqui, quemadmodum nec dosi exili affirmata affirmatur venenum vel venenatum: ita nec negata hac negabitur illud. Pre-

tioſiſſimorum τῶν ἰαμάτων aromatum cordialium Bezoardicorum doſis adminiſtranda eſt minima, non tamen venenoſitatis propterea accuſanda. Hydrargyrus, antimonium crudū larga ſæpius porriguntur, eximes ea venenorum catalogo? Bezoardicus lapis ad grana ſex, octo, decem exhibetur, quæ doſis minima, num ideo alexiterium hoc eximium ob doſis exiguitatem venenatum cenſebis? obratiocinor. Quidquid parua porrigitur doſi, illud eſt venenatum: Aromata, Bezoardica, minima exhibentur doſi. Ergo ſunt venenata. Propoſitio eſt tua, ſi vera: conſecutio erit itidem vera: ſed quo aſſertore?

QVÆSTIO XXXIV.

An temperies rei naturalis diſtillatione deſtruatur aut minuatur?

CHymicus non deſtructor rerum naturalium, ſed earundem induſtrius elaborator ſit, neceſſe eſt: ſecus non artifex niſi certi finis gratia moliatur

liatur destructionem rei, sed impostor æstimandus. Temperiem rei naturalis distillando minui aut destrui nullus peritorum affirmabit vnquam, omni studio crasin & essentiam cuiuslibet distillandi saluam & integram per distillatorium exigere satagentium. Vt cominus cõgrediar gladio logico succinctus, sic te compello: Si distillatum iis virtutibus eaque crasi & quidem depuratiori, quibus distillandum simplex dotatum fuit natura, pollet: distillatione tantum abest minui destruiq; simplicis aut distillandi temperiem, vt potius excellentior exaltataque omni impotentia ab impuritate ascititia expeditaque prodeat. Prius verum, destillatum omne artificiosum liquidissimo comprobat. Ergo verum posterius. Vt prius anicularum denicarum facto non improbando comprobem. (artificum enim operationes fors nobiliores sunt, quam vt ad tuum captũ quadrent) Gusta aquam earum cinnamomi, crasinne cinnamomi perditã

diminutam an ſartam tectamque poſſidet? ſi ſapis, ſapere tibi craſin cinnamomi, & ſpecificas virtutes eius adeo fateberis, vt odoratu Sueuico abolito tibi acer ſit reſtitutus guſtatus Gallicꝰ. Si itē diſtillatione deſtruitur aut minuitur craſis rei naturalis, cur reſtagnans materia in fundo alembici aut vaſis ἐξίτηλον habetur & caput mortuū? Cuius vſus & finis gratia diſtillata abhinc annis millenis a probatiſſimis medicis ſunt vſurpata, deſtillatione temperiem rei abolente?

QVÆSTIO XXXV.

An ſuccus vel decoctum rei naturalis aut ſimplicis herbæ temperiem integram conſeruet.

STupendam imperitiam arguit aſſertum: Quis enim quolibet ſimplici non niſi alimentarium humorē exprimi vegetāti adhuc neſcit? Hic quia ambigit nec tranſiit in alimoniam vegetandi, craſin totius habere nequit. Quomodo ergo temperiem integrā con-

conseruare poterit, cui nunquã se associauit. Si habet temperiem integram succus rei naturalis medicæ expressus, omnis crasis hærebit in succulentis. Hæc autem non sunt συστατικὰ rei naturalis, nec partes integrãtes. Non ergo habebit succus expressus temperiem integram rei naturalis præ destillatis. Succo expresso vegetantis aut recẽtis simplicis, distillatorio id commissum adhuc specificum cum crasi naturali profert: ꝙ argumento est euidenti, destillatione nõ perire crasin rei, sed eandẽ seruari, succo rudi, omni temperie vacuo. Negãtes adhuc calidiores herbas origanũ, absynthium, maioranũ, salureiam &c. excisas sponte succo suo vel sole vel aere vmbroso exsuctas examinent, videantq; verũ eæ temperie sua naturali sint ornatæ, succo illo extabescente, nec ne. Illud affirmare euidentia rei eos cogit, nõ enim nisi exsiccatis eis vtimur omni succo spoliatis: qui ergo temperiẽ totius succus ille habebit integram? Quin etiam multa

ſunt vſque adeo exſucca, vt ex pumice aquam citius & facilius prouocaueris, quam ex illis ſuccum temperiem ſuam nihilominus ſeruantibus. Decocta temperiem decoquendi ſartam tenere patientis palatum & coquentis nares teſtabuntur. Huius, cuiuslibet decoquendi temperies, virtuſque nares adeo ferit, vt faſtidioſæ euaporationis pertæſus, longius abire cogatur, quin & eadem domus decoquentis tota repleatur, vicinitate non intaminata. Ille frequentatione decocti nauſeabũda morbum exaſperatum potius, quã diminutum aut depulſum ſentit, vi omni medica in auras decoctione violenta euanida. Quid? ſi decoctiones temperiem decoquendorum arctius tenent diſtillationibus, quare ſeminũ, herbarum, radicum, lignorum, vnum ingredientium medicamentum, ordinem ſtudioſe obſeruari iubent, ita, vt hæc prius, illa poſterius decoquantur, hæc violentius illa lentius? ne pereat virtus & cum hac craſis rerum de-

coquen-

coquendarum ais? Atqui cunctorum hæc farrago destillatione integra sua crasi, eodem ignis gradu parantur, perliciunturque artificiose. Idcirco destillatio tenacior erit temperieq; rerum naturalium custos, decoctione culinaria rudi.

QVÆSTIO XXXVI.

An succus sit plantæ anima?

PAraphrenitide tenetur, quicunq; tam stolide iudicat. succus ille, qua succus in animis est omnis: quomodo ergo anima plantæ? An vegetatiua anima succus plantæ? An naturalis eiusdem forma? non illa, quia iam orbata excisa planta & vegetari desinit: hæc igitur. At forma naturalis non solum totum informat, sed & finit idem. Succi per se non est neque informare neque animare omnis formæ expertis, multo minus finire, alieno termino gaudentis & coercendi. res naturalisne τὸ δέτι quæ anima sit priuata sua. Pleræque plantarum exsuccæ, succo

anima earum euanescente, τὸ δ' ἔτι tamen. Non itaque succus anima plantæ. Sed contentum animam esse continentis: Nauiget anticyras.

Qvæstio XXXVII.

An per separationem boni a malo alchymistæ segregationem intelligant formarum Peripath. a materia prima.

ADuersantium hæc sunt verba: cũ sola materia maneat euanescente forma, quis dubitet solam materiã principii nomen mereri. Aristot. respondet manere speciem, quæstio autem erat non de logica, sed de physica, reali & singulari rei cuiusque forma, quæ si dispereat so'a permanente materia, frustra illam quæritis in materiæ visceribus. Respon. separare principia prima Physicos. Deinde geminas qualitates diuidere, τῷ ἐπινοεῖν assequi possumus τῷ πράττειν αἰσθητικῶς nunquam, nisi cum cælum erit terra. Separatio chymica, aut corporum est, aut virtutum.

tum. De harum ἐργασία nihil præcipitur peculiariter. Cum enim corpora sua sequantur, segregatis illis, hæ comites erunt nisi qua alteratio requiritur. Corporum διάκρισις vel fit in humore vel in sicco. In humore frequẽtissima est ablutio. Metallici vsurpant μεταλλοπλυσίας. Has sequuntur chymici, sed nõ in metallis tantum; verum in quibuslibet terreis pulueratis: nonnunquam etiã in liquidis. Per corpora intellecta volunt sua principia, Salem Sulphur & Mercuriũ, & horũ maximopere moliuntur artificiosam separationẽ, quæ & elemẽtorum dici potest. Menstruo soluuntur compages: sed eo instigato & in actum vocato per calorem proportionatum triplex hic separatio fit. Prima est cum menstruum a fæcibus seu corpore segregat essentiam. Id fit per putrefactionem aut corrosionẽ violentam. Secunda per distillationem in qua compendium operarum facimus. Tertia est phlegmatis seu menstrui abstractio, quæ variis modis

perfici poteſt, prout vltima pars terreà eſt vel oleoſa. Prima eſt fæcum & eſſẽtiæ, ſecunda partium eſſentiæ: tertia vehiculi & eſſentiæ. Eſt & quarta operatio in capite mortuo, in quo duæ ſunt ſegregationes. Primum enim a cineribus & capite mortuo ſemouentur ſales interuentu colaturæ: deinde a ſalibus aufertur aqua. Separationem igitur chymicorum heterogeneorum eſſe liquido conſtat. Quæ igitur non ſunt heterogenea, horum nullus artificum molietur διάκρισιν. Eiusmodi ſunt forma & materia phyſicorum analogia καὶ τῷ ἐπινοεῖν comprehenſibilis & ſi αἰσθητικὴ & determinata, formata ſimul erit abſque tamen heterogenea, vniusmodi τὸ δέτι exſiſtens. Quid ergo ſeparatione fatigandum expers vllius συγκρίσιος?

QVÆ

QVÆSTIO XXXIIX.

An ex mistis essentiis spagyria elaboratis, mistionis concentus diruatur, & consequenter hoc sublato vires simul pereant?

SImile supra fuit obiectum, & misto in sua principia, sal, mercurium & sulphur dissoluto, non tam virtutes misti, quam crasin ipsam labefieri est opinatum. Sed responsum satis reor ibi loci. Dissoluto misto in sua principia chymicis talia, nulla reductione facta, crasin, viresque specificas totius labefactari simul, negari non potest. At in essentiæ opere soluta compages & nexus substantialis diremtus reducitur, & coadunatione artificiali totius fit, non tam crasios, quam virtutum eius & specificarum proprietatum forma mixti consequentium coniunctio nobilior. Si qua mutatio est facta, artificis incuria tanta non est, quæ destruxerit totum, temperamenti magna amplitudine late se extendente, quo etiam

parumper immutato crasis mixti quadantenus salua, & eatenus integra cēseri potest, quatenus specificæ vires, ipsa substantia incorrupta, permanēt. Rheubarbarum, agaricus, folia senæ coquuntur vulgariter, infunduntur, extrahuntur chymice non sine aliqua temperamenti immutatione manente tamen ea crasi, substantia eorum salua, qua specificæ virtutes suas ἐνέργειας præstare queunt.

QVÆSTIO XXXIX.

An inflammatis partibus internis citius & facilius succurritur decoctis refrigerantibus tum assumtis, tum admotis, quam quauis essentia vel oleo, inflammationem augente?

AIunt quidam sectione venæ, clysteribus refrigerantibus tam foris quam intus adhibitis, inflammationē cuiusuis visceris felicius curari, vlla essentia chymica. Quod si chymicus medicus prioribus æque absolutis rite, posterioribus decoctis nempe refrigerantibus

tãtibus missis, essentias chymicas præbeat inflammato, nonne citius, tutius & iucundius curabit illo? sed chymicæ essentiæ omnes inflamatoriæ, ea ppter addent potius morbo eiusq; caussæ, q̃ quidq̃ dement. Quo argumẽto? calumnioso. Oleum camphoræ, essentialis aqua nitri, sal saturninum, oleũ vitrioli acidũ, oleum sulphuris acidum guttatim, partim scrupulotenusq;, partim cũ aquis appropriatis spagyrice distillatis exhibita semel atque iterum tantarum erit virium, vt inde æstuantes inflammationes vno & altero die exstingui necesse sit, vix quatuordecim dierum spacio decoctis refrigerantibus exstinguibiles. Impendio enumerata refrigerare, adq; æstus quoscũq; obtũdendos quasi nata esse, experientia locuples testis. De efficacitate indicati dumtaxat deblateratur & decoctũ essentiis chymicis ad inflamationes restinguendũ præstare effutitur temere.

Quorum vis refrigerans & inflammationes viscerum (obratiocinor) compescendi

virtus integrior penetrantiorque, ea debilioribus & inefficacioribus omni studio sunt præponenda præeligendaque. Atqui essentiæ chymicorum vulgaribus decoctis refrigerantibus efficacitate longissime anteeunt. Ergo &c. Assumtum probatur. Chymicæ essentiæ quarumcunq; virtutum, si veræ essentiæ, materia formaque mistis, & specificis proprietatibus armatis, secundum totam misti substantiam, nulla subtracta parte, erũt absolutæ. Quamquam essentia etiam hæc vocatur, quæ ex resoluto integro post repurgatas partes iterumque cõiunctas & vnitas efficitur, licet non omnes obtineat vires specificas. Essentiam facturus, totum resoluendũ erit, partes seorsim purgatæ vires & qualitates suas ita debent retinere, vt post coniunctionem seu vnionem (nam soluta iterum sunt in vnum coagmentanda) emergat prior mistura secundum substantiam quidem eadem, at viribus aucta & ad vsum promtior reddita. Huiusmodi decoctum culina-

rium

rium ne, quo ſuſque deque congeſta ruditer ebulliunt, nobiliore virtute in auras euanida & impuritatibus ante miſtionem coactis & coctura impactis potiores vires remorantibus & hebetantibus.

QVÆSTIO XL.

An Magiſteria, tincturæ, ſalia, olea ſunt portiones materiæ?

MAgiſterium totius eſt eſſentia, ſed depurati & nobilitati, operis chymicis: non igitur ſolius materiæ portio. Quod totum poſſidet etiam partem habere integrantem neceſſe eſt. Non vero contra. Qui ergo portio materiæ magiſterium? ſed neque tincturæ, neque ſales, neque olea, portiones materiæ ſunt. Participant enim nõ tam materia, quam forma, imo totius mixti forma, niſi homonymos talia dici velis. Tinctura alia ſimplex alia compoſita, vtraque particeps craſis rei tingentis, altera magis tamen altera. Hæc enim nihil aliud eſt, quam eſſen-

tia mixti ſuo colore affecta tinctura Eſſentia non ſolius materiæ, multo minus portiũculæ eius, ſed totius. De oleis eadẽ ratio, aut nihil aut parũ de materia aſſecutis, formaliter magis quam materialiter affectis. Neq; ſalia ſoliu materiæ eſſe ſoboles queunt, ex capit licet mortuo ſuſceptæ: q; ſpiritibus ſint prægnantia & fixis & volatilibus, non materiæ, ſed totius & formæ potiſſimũ adiunctis propriis. ridiculũ eſt, materiã malũ haberi & ſpagyrica remedia ex materia & malo ꝓgnata eadẽ malitia teneri, nempe κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Si materia prima malum eſt, per ſe, tale non eſt Philoſopho, στερήσιος ſibi adiunctæ nomine: ſique ob id, quod ipſa malum, inde exorta mala forent, quid nã quæſo, non malum foret, omnibus inde prodeuntibus, quibus ſe vt ſubiectum commune ſubſtratum vult?

QVÆSTIO XLI.

An chymica remedia malam διάθεσιν principalioribus partibus affricent?

MEntiuntur aſſerentes. Si qua pra-

ma &

ua & aliena διαθέσεις nobilioribus partibus est illata, chymicorum remediorũ vsu: aut sinistra eorum præparatione, aut perperam adhibendo eueniat, necesse est. Vt quod ex accidente contigit, arti & arte elaboratis neutiquam sit adscribendum. Vulgariũ medicamentorum nullã Spagyrin expertorũ etiam vsurpatione dextra quæ importantur mala corpori humano? alterantiũ & digestiuorũ frequẽtatione crudeli & paralogica quot in atoniã ventriculi, & cachexia hepatis, tũ lienis sunt coniecti, inemẽdabilẽ? Chymici materias mutuantur ex penu rerũ naturaliũ: quarũ vsus apud medicos omni tempore fuit exploratus: vt si quæ ea noxã afflarent internis principibus corporis humani, spagyrice iã elaborata noxæ id oporteret esse aut a medicinis ipsis naturalib. adhuc imparatis & rudibus, aut labore spagyrico. Non hoc: omni enim studio incumbunt in id artifices, vt aliena & nocitura ab iis tollant, sincerissima procudendo. In hunc finem tot sunt operum chymicorum excogitati

modi,ſublimandi,deſtillandi, digerẽdi,ſoluendi,coagulandi,fixandi,reducendi,rectificandi &c. Nequid vſpiam deeſſet ad operis perfectionem. Illo ergo: nec aberratum multum. Quorſum enim cuilibet baſi medicamenti tot aggeſta corrigentia & viſcera principaliora defendentia ab medicaminis appulſu aut tranſitu. Hoc ſane argumento & non vulgari, malitiam ruditati pharmacorum illorum inhærere, quæ vtrum appoſitione corrigentiũ dictorum nuda accidatur, vt iure dubitandum: (quis enim non dubitet: medicamentorum inuicem miſtorũ, & quorum baſis incommodatura videbatur, adiunctis corrigentibus detrimentum præpediri: illis cunctis in τῇ δυνάμει conſtitutis, nec in actu prorepentibus, niſi a calore humano ſuſcitatis: vbi iſtius actus expeditior, cuius quantitas virtuſque maior, nec temporis tantum reſtabit, appoſitis corrigentibus, baſi ἐνέργειαν ſuam iam exercente, vt finem, cuius gratia adſtant

baſi

baſi, compleant natura varie etiam diſturbata, dynamica alias euocante, ita vt chymica remedia, a quibus iſta noxia qualitas digeſtione ſeparatione &c. fuit ſegregata, tutiora & omnis prauæ διαθέσιος partibus humanis afflādæ expertia, iudicandum ſit.

QVÆSTIO XLII.

An colocynthis ſcammonium, elaterium arte correcta naturæ humanæ ſimilia?

Negatur.

NVllum medicamentum qua tale, naturæ humanæ ſimile eſſe poteſt, correctione vel addita vel omiſſa. Quæ enim immutant corpus noſtrū, ea nobis ſimilia eſſe nequeunt. Medicamenta validiora præſertim eiuſmodi ſunt, vt etiam prauo vſu interimāt. Non ergo ſimilia eſſe poſſunt. *Hipp. lib. de locis in homine*, medicamēta vult ea eſſe omnia, quæ præſentem ſtatum tranſmouent: omnia autem fortiora transmouēt: quomodo ergo hæc no-

ſtræ naturæ ſimilia? ſimilia quę ſeruare dicuntur naturam humanam, non labefactare: at iſta medicamenta tantũ abeſt vt ſartam tectamq; tueãtur, vt eã non raro deſtruant. Corrigantur licet: non ea propter exſuent ſuam aduerſitatem cum noſtra natura, vt cognatã reportent, niſi catharticam virtutem omnem depoſuerint, quæ tamen adiunctis corrigentibus nunq̃ continget, vt q̃bus craſis tota manet illibata.

QVÆSTIO XLIII.

An vipera non correcta ſummum venenum?

QVare ergo vipera alexipharmacũ tam eximium? An alexiteriam facultatem a corrigentibus demum acquiſiuit? Cur ergo non corrigentia ipſamet, reiecta vipera, pro alexiterio venditantur habenturque? cur leproſis non venenam viperam eſitãtibus? cur non correctæ voratur cor alexicacon, certiſſimum aduerſus omnis generis venena.

QVÆ-

QVÆSTIO XLIV.

An mineralia remedia aliaque chymico apparatu facta calidiora seipsis sint & magis erodentia igni, nec ne?

MIsochymici non solum chymica remedia igni reddi deteriora, sed & deleteria calumniantur. Fiant calidiora, an & deleteria? Vnde deleteriã contraherent vim, amabo? igni ne? At hic non est deleterius, sed simplex. In se fors ante habebant deleterium? quo argumento? nullo. Habeãt veneni q̃d? an nõ igni id omne euanescere opinaris? Gallinarum calore insito & aliorũ animalium venenis victitantium venena edomantur, cur non idem igni δραστικῷ? angues cocti absque noxa comedi possunt, venenum per halitum & ius coctionum deposito calidiora fieri igni & erodentia probare insuper nituntur ratione & auctoritate gemina, Aristotel. altera & Galeni altera. Ratio hæc est, metallorũ calor

qui omnibus inest, externi caloris accessione intenditur. Ergo chymica remedia natura calida igni fiunt calidiora. Ignorat elenchum misochymicus. Sint calida metalla, accedat ignis vehementior: nonne dissipabitur validiori igni internus metallorum calor: quam intendatur potius? si exigit aliorum calorem internum, vtique & metallorum semper sibi vniusmodi per se agens. At prius vero verius. Ergo nec metallorũ parcet calori. Auctoritates Galeni & Aristot. producuntur. hæ Gal. *lib. 2. κατὰ γένη* ex ignis commercio mordacia redduntur metalla. Item adusta omnia se ipsis calidiora fieri docent Aristot. *lib. 2. de partibus animal. cap. 2. & Galen. lib. 2. de facult. Natural. exemplo fæcis vstæ & non vstæ.* Respond. Gal. fidis oculis lectus ibi loci tantum abest, igni eiusmodi remedia acriora & erodentia fieri, vt quæ sint acria, ab vstione reddi minus calida & minus mordacia, omnemque mordacitatem deponere, si lauentur in aqua, astruat.

Hocque

Hocq; docet *li. 9. de simpl. Med. facultate, & rursus lib. 4. κατὰ γένη cap. 5.* vbi ita scribit: *Nulli dubium est, mitia pharmaca mihi dici, diphrigas, sarcocollam, chalcitidem vstam, item combustum æs, & æruginem & calchanthum quæ ignem non experta, acria omnino sunt combusta moderata, tota post combustionem lexia rosionisq; expertia:* Aristot. adusta fere omnia aliquid habere caliditatis citato loco vult, sed omnia negat habere, vt & fieri ignem passa seipsis calidiora. Exemplum fæcis vstæ nihil probat, quod nec medicamētum, nec artificialiter vstionem sustinuit: sique aliquid sit cremii, non tam ab igni habebit, quam a seipsa. De ceteris idem iudicium ferendum. Ignes enim chymici innoxii sunt, nec vllam peregrinam rebus facultatem inferre possunt: quod simplices & ab artifice secundum pyronomiã directi ad cuiuslibet rei nobilitatem integram retinendam potius, quam immutandam. Si peregrinæ facultates inde exsistunt, partibus diuer-

ſis in materia indiſcretis primum adſcribendum, quæ ignis beneficio ſegregatæ ante elementorum amictu occultatæ, & validis naturæ clauſtris impeditæ, foras iam productæ, vinculis liberatæ, incipiunt proprios exercere actus, ac ſenſus mouere. Vt ita non ſit introducta caliditas, ſi qua chymicis rebus inſit, vi ignis, ſed inerat ea per ſeparationem eſſentialem ſegregata, vt quæ nullis ablutionib. abſtrahi queat, empyreuſi facilime ſecedente, etiã vnica ablutione per aquam, vel aliis rectificationis modis. Accedit, pleraque chymicorum, ignis eam nõ experiri vim, quæ eroſionem vel καυςικὸν τὶ afflare eius queat medicamentis, ſed calorem dumtaxat gradu ignis primo vel ſecundo ſuſcitatum: quis non modo non vrit quidquam, ſed & ſi quid acre & igneum adſit, id omne blandimento eius demulceatur. Quodſi vero miſochymici ignem adeo reformidant, vt non ad medicamentorum apparatum inſtruendum, niſi cum noxa

& cau-

& causomate superstite adhibeatur, cruda deuorent sua: quin & decocta, apozemata, destillata, oleaque eliminentur cuncta ignis vim passa. Quãtis cruciatibus ignis, antimonii, sulphuris aliorumque additamentorum, aurum expurgatur, & tamen folia eius confortantibus immiscentur ad cordis tutelam.

QVÆSTIO XLV.

An chymica remedia, quia subtilia, subtilitate caloris excessu comparata, damnanda noxæ adurentis erodentisq;?

Negatur.

QVædam spagyricorum remediorum exsaltantur circulatione pelicani, & horũ subtilior natura ad cæleſtẽ naturam proxime accedens, analogia ad crassa & fæculenta. Sed nocẽtiora, ob subtilitatem inde comparatã ea proclamare fatui & cõuitiatoris est. Quo n. subtilius est, eo & formalius: quodq; eiusmodi pernicioris est actus,

ideoque minimum caloris partibus afflans, documento ſpiritus vini accēſi: cuius flamma & momento diſſipabilis & manum ne minimū lædentis. Negatur & hoc, ſubtilia calidiora eſſe, quod caloris exceſſu ignei attenuentur, reddanturque talia. Nam multa ſunt ſubtilia attenuataque nullo coniuncto calore. Quo ſubtilius quid eſt, eo minus calidum frigidumque deprehenditur, adeo, vt quod gradum ſummum acquiſiuit, cæleſtibus euaſerit familiare, quibus ne peripatus quidem calorem aut frigus adſcribit. Hybernus aer luciſſimus interdum rariſſimuſque & frigidiſſimus, cum contra craſſior ſit calidior. Et videas æſtiuis horis in imo fumoſum caleſcere, rarum in montium iugis frigere, nec tam ſtipilam calere inflammatā quā ferrum. Vnde non apud ſubtilitatem quærendus calor videtur, ſed aut mera cæleſtis natura ex chymicorum ſenſu, aut frigus.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVI.

An extracta caloris excedentis ideoque damnosi, tum veneni nomine infamanda?

ADeo procaces ſunt quidam medicaſtrorum fuci vt intrepide peſtifero rictu euomere talia auſint, ſatis eſſe opinantes, quicquid rudant garriantque, modo ſuum virus in proximum omnibus benefacere ſtudentẽ eructarint: probabile iam ſit ſputum proiectum vel improbabile. Nugantur quidem, ne calumniatores nequã videantur, argumentis omnino vacui, extracta chymicorum medicamenti natiuum calorem perdere, formæque proprietatem: immodico item calore non aliter naturam conturbare, quam febrilem calorem, veneriataq; (vt concludant audacter) ſua qualitate non aliter quam aſſumta venena exagitare. Ohe bona verba quæſo venerandi ſenes capulares: deoſculanda ſputa veſtra chymiaſtris ſcilicet, ſed

canibus & ſuibus proiiciantur. Ad noſtrum palatum inconueniens eduliũ, inſipidum videlicet, rancidum, virulẽtum. Sed Vulcano cõmittantur. Quid prodibit artificioſi? Mephitides ex Trophonii antro ſpecuque Plutonico lethaliter exſpirantes. Calorem natiuum amittere chymicorum extracta, eumque igneo & arrodente commutare, formæque proprietatem diſſipare, quis artificum credet? Petitur principium tibique iniurioſum. *Quæcunque actus exercent agentis naturalis proprios, ea tantum abeſt perdidiſſe calorem natiuũ, proprietatemque formæ, vt vtriuſque ope, elementari integumento remorante & nobilioris eſſentiæ virtutem impediente, exonerata felicius & ſalubrius agant, quam ante validis naturæ clauſtris deuincta. Extracta chymicorum hæc præſtant, apodictica experientia aſſertore.* Ergo. ne- gaturi pertinaciter, extractis affictorum violentorum effectuum ſunto immemores. Si enim extractis tanta ineſt purgandi violentia, erit eis ante ex

ſe, au-

ſe, aut aliunde & ab arte. Non hoc, ars enim per ſe nullam habet δύναμιν τοῦ καθαίρειν niſi ἐπινοητικήν: illud ergo & iure illud: ideo namque catharticum definitur, quod talem proprietatem habeat in ſe non ab arte vel aliunde mutuandam. Obtinebit ergo ſuam proprietatem ſartam tectamque, qua affirmata, calorem inſitum aſtrui ſimul oportet, quia natura ſunt ſimul. Pereat calor tamen inſitus, quo exactore vel euocatore? Ignene? At hoc etiam in decoctis & diſtillatis diſperibit, ignis flam̃a paratis. Imo hic facilius citiuſq; quam ibi & in extractionis opera. Si n. ſecundus ignis tertiuſq; gradus vehementior eſt, rapaciorq; primo, & illo decocta elixantur violenter, calor inſitus rerum decoquendarum illi pedẽ haud ſiſtet fixum, & huic cedet vacillantem. At analogo calore extracta cuncta ſpagyria proliciuntur, primo æquiparando ignis gradui, quomodo ergo calorẽ abiiciet ſuum, & aſcititiũ erodentem referet abſentẽ? inſitus nõ

nisi aduentitio & fortiori fugatur. In extrahendo artificiose pyronomia vix blandum & lepidum ignis calorē balneo Mariæ proprium concedit, super imatum, ne vllo gradu excellentem. Ergo. Negato iam calore formæ proprietatem & insitum calorem dissipāte, violentus euentus turbæ, febriles calores recte negabuntur, & ad cynosarges totum expectoratum putridū, venenosum. Venenatum nihil medicamentorum arte spagyrica fieri potest, artifice boni ideam ingenio versante suo & commoditatis in genus humanum effundendæ. In se ergo natura habebit, virus. Hoc aut ars acuit, aut tollit, aut emendat. Non illud: præceptis enim veris aueruncandi veneni probe instructa, veneficio omni procul ab ea exsulante. Ergo hoc. Id quod venenatum omne arti subiectū euidenter comprobat, illaboratum & venenositate noxium arte salubre & vsui commodum effictum. Ipsi viderint qua arte venenata sua pharmaca melio-

meliora tutioraque fabricent, rudia crudaque retinendo, & calidissimis aromatibus euphorbio ipsomet non abstinentes, passim emendando: omnibus & corrigendis & corrigentibus interim illibatis & immobilibus pharmaco integro assidentibus otiose.

QVÆSTIO XLVII.

An famosum antimonium venenatum, sique tale, num nihil nisi venenatum spagyria inde elaborari queat?

SVnt qui antimonium crudum sine damno deuorent & ea quantitate, qua exhibitum vehementius pharmacum misochymicis frequentatum necem protinus inferret. Hoc tamen illis nugigerulis pharmacum est, illud venenum. Sit venenum, quod & ego in censu venenorum maxime habeo. Nihil autem in se possidet boni & salutaris? αναςοιχειώσει seu anatomia spagyrica in flores rubeos, albos, in vitrũ,

in regulum, in ſal, tincturamque abit, vſitatas chymiatris medicinas. Dãnabis ne ea veneni? rogitas? ſepulchreta inſpice defunctorum vitro antimonii tum floribus ab agyrtis & impoſtorib. Paracelſicis porrectis: vſu ergo præpoſtero, venenum erit ſtibium καὶ κατὰ συμβεβηκὸς, vt alia medicamenta per ſe ſalubria. Herophilo ab indocto & temerario adminiſtrata gladii ferientis veneniq; vim habentia. Per ſe itaq; & natura ſua negatur venenum, quod rite fabricatum & dextre exhibitum καὶ κατὰ λόγον tam ſalubre medicamen experiuntur pleriq; celebrium practicãtium, ac benignorum pharmacorum quoduis. Vitrum antimonii tũ flores purgandi vim ſortiuntur, tam aluum, quam vomitum cientes. Vtraque furioſe purgare non denuo præparata vident, tum ob mercurialem arſenicalemque, vel etiam calcanthinam ſubtilitatẽ, tum ob ſpiritus ſalis petræ aut Boracis admiſtos, quibus æque cathartica vis, ac antimonio, cui iſtorum ad-

hæſit

hæsit fors vehementior, mutuas operas tradendo. Purgabunt ergo venenata, qualitate, viribus istis arsenici & mercurii affirmatis, & ita venenatum erit? effectus sane id nõ arguit, q̃a purgatiuus est, nõ venenatus & naturæ infestus. At furiose purgãt omnia corporis perturbãtia, vt disturbata anima ex corpore turbulento eis haud raro excernatur. At id commune habet, cum aliis purgantibus tũ vehementioribus, tũ benignioribus. Quosdã vsu mannæ abortiisse constat, & tam fœtum q̃ matrem ea purgatã animam excreuisse. Venenata ergo & manna: sit tamẽ ob adhærentes spiritus mercuriales & arsenicales, & vitrum & flores vtrosq; venenata, vt aliquid donemus misochymicis. Fixentur spiritus illi & sale suo corrigantur, venenositate abacta, veneni nihilomin. dãnanda? Quo argumento? An quia purgant, vomitum cient, sudores mouent, aluũq; ꝑritant, more aliorum purgantiũ salubrium? Effectus sane purgandi similis, arguit

facultatem purgandi, parem. Vitro & floribus rite præparatis & ſpagyria edomitis tam ſuauiter purgant, quam manna vel ſyrupo laxatiuo quouis. Si itaque per ſe nihil noxæ inferunt purgando nec naturæ expurgandæ vllo modo ſunt infenſa, quare venenata proclamanda? veneni non eſt purgare corpus humanum: & ſi veneni non eſt, nec erit venenati, niſi velis indiſtincta pharmaca & venena. At variant & diſcriminãtur definitione ambo, ergo & reipſa differunt: diſcrepabunt ergo & effectis: venenum venenatumque, naturã humanam deſtruendo, pharmacum purgando & κατὰ συμβεβηκὸς cõſeruando eandem. A quibus itaque abeſt nona ea, quæ eſſe ſolet venenorum venenatorumque ea neutiquam ſunt venena aut venenata. Atqui a vitro floribus ſtibii &c. præparatis affabre, abſunt noxæ veneni venenatorumque. Ergo &c. Quidam antimonium propterea proſcribendũ cenſent: quod igni tractetur, eoque redda-

reddatur violentius. Sed igni nulla violentia adſcribi per ſe poteſt nomico. Nam vltimo igni exagitatum vitrum longe redditur mitius, cum deberet euadere ferocius, ſi ignis cauſſa eſſet, diſſipatis mercurialibus & arſenicalib. ſpiritibus. Quare antimonium, quia ea pollet facultate, vt partim expurget innoxie corpus humanum, partim idē tutetur per ſulphur, quod ei ineſt ſolare, tincturam eximiam conſtituens, nec venenum nec venenatum καθ' αὑτὸ nec dici, nec haberi poteſt. Siquid ei ineſt maligni venenatique aduentitiū & peregrinum ſit, neceſſe eſt, arte leui ſeparabile, eſſentialibus puris & nobilibus ſuperſtitibus. Quibus ſi omnes medici iuxta ac medicaſtri rite vſi fuiſſent, non ex ſiniſtro vſu imperitorū impoſtorumque vitri antimonii ſua malignitate venenata nondum artificio exſuti, temeraria exhibitione nobiliſſimum ſtimmi hoc, adeo infame reddiſſent, & omnibus adeo abominabile, vt diabolum facilius admittāt,

curaturum quam medicum industriũ antimonii nobilissimam partem porrecturum: non considerantes pleraq; medicamentorum, vomitũ in primis ciere natorum δυσφορίαν non leuem secum adferre, sæpius idiosyncrasiis δευσεμέσιν καὶ τοῖς ἔξωθεν imputandam, quã medicamẽta p se salubria incusanda.

QVÆSTIO XLIIX.

An Hydrargyrus seu argentum viuum venenum?

Negatur.

MAthiolus refert *argentum viuum parturientibus ægre dari pondere scrupulari.* Alii duo grana milii de ipso ad tineas alui propinant, idque tutissime fieri in iumentis & Fallopius scripsit,& veterinarii sciunt. Alexander Massaria *lib.2.de peste pag.54.* negat hydrargyrum esse venenum cum Fallopio,quia a pueris & viris sumatur, magna copia citra noxã. Platerus a quodã potũ retulit sine discrimine, pro aqua, & in Iliaca præsens esse tradunt remedium. Vide Aegin. *lib.7. de Hydrarg.*

Bac-

Baccirum *lib. 5. de thermis cap. 11.* Quã-topere commendat Dioſcorid. *lib. 5. cap. 46.* Plinius Mercurialis Eraſtus, vinum & aq̃ chalybeatã, electuariũ, tum puluerem calybis pleriq; excellentiũ medicorum. At in calybe & ferro ſulphurei & mercuriales ſunt ſpiritus, qui habẽtur venenati, & quorũ beneficio obſtructiones expediuntur contumaciſſimæ. Huiusmodi eſt ferrum q̧ magnos curat lienes, ac omnẽ demolitur obſtructionẽ, id virtutis liquandi, fundendi, attenuãdi, q̧ viſcidũ & craſſum eſt, a ſulphure & mercurio poſſidẽs. At non ſolũ innoxiũ eſt, ſed & cum efficacia ſalutis ingẽti, vt olim, ita nunc ab omnibus medicis peritioribus, adminiſtratum & tantopere deprædicatum. Cur ergo in ferro & chalybe venenũ mercurii non reformidant, neutiq̃ a vulgari mercurio diſſidẽtis, niſi ſordiũ quarũdã adhæſu. Quippe mercurius p̱ ſe & eſſentialiter admodum beneficus eſt, vſu eius experientia euidenti id confirmãte: ſi quid venenati habet,

id ratione προσκειμένων contingit, quæ ad eius essentiam nequaquam pertinent, sed vt heterogenea & aliena sedulo separanda, superstite essentia homogenea per quam excellentis non modo ad medicinam, sed & ad χρυσοποΐαν efficacitatis. sublimatus non alia venenatus est ratione, aut præcipitatũ illud vulgi & barbarum tonsorum, quã quod alienitatibus & sordibus virulẽtissimis non sit sequestratus, tum corrosiuis menstruis excarnificatus, vt plus hinc quam illinc venenatæ noxæ contraxerit. Langius hydrargyri vestigia in auro deprehendit. Is est spirituosus & facile secedit ignitione. At quã studiose commendatur tum aurum ipsum, tum aqua aurata a vulgatis medicis doctisq;. Damna, quæ eius vsum etiam dextrum sequuntur, hydrargyri per se non sunt. Alia enim est ratio solius & puri, alia impuri cum arsenicalibus halitibus coniuncti: Impurum & plumbatum innoxie dari prægnantibus, pueris vermiculosis, equis, Gallica

lue

lue infectis, quos etiam inungunt & fumigant vltra numerum. Si impurum non interficit, quid de puro statuendum? cerebrum & rucham spirituosa humiditate lædit non veneno. Ex accidente fit syalismus, quia phlegmatici humores sunt frequentes circa cerebrum. Ita fiunt sputa non per se omnino, sed ex accidente humorum affluxu.

QVÆSTIO XLIX.

An cingulum mercuriale κατὰ λόγον vsurpari, citraque noxam vllam queat.

Affirmatur.

CIngulum mercuriale debite & factum & ad lubitum, tantum abest, *vt Aphor. Hippoc. 1. lib.* quo natura vergit, eo ducere oporret &c. ex diametro repugnet, vt potius eius vsus veritatem mentis. Hippocr. quam maxime confirmet. Sit scabies quæuis vel symptomatica, vel critica, vel medio modo affecta, nuspiam nocebit cingulum mercuriale. Si symptomatica

incassum Aphor. Hippoc. citatur atq; opponitur. Talis enim excretio nõ fit a natura recte & critice operante. Nec eius motus & crisis cinguli huius applicatione impeditur, sed potius arte iuuatur, caussam morbificam scabiei foras euocando dissipandoq;. Si critica aut medio modo cõparata, itidẽq; cingulũ mercuriale neutiq̃ naturæ motũ interturbabit, vtpote motui naturę recte operantis nullatenus aduersum. Qui mercurium ἀποκρουστικὸν & repellẽtis naturæ refrigerantisq; censent esse, puerilẽ suam in mineralium disciplina ꝓdunt inscitiã. Si namq; vnumquodq; tale iudicatur esse, quale effecta inde ꝓdeuntia testantur: mercurio autẽ caliditatis omnia exedẽtis, dissipãtis, cõsumẽtisq; energeiã q̃ maximã inesse, ipsis furnariis & artificib. exploratũ sit, quomodo repellẽdi aut refrigerãdi vi mercurius ꝑ se pollebit? symptomata vsurpatũ hydrargyrũ comitantia, tremor, paralysis & alii neruorum, ꝓpter naturã affectus, frigiditatis soboles esse assolent, effectaq;: at quandoq. dẽ horũ

hydrargyrus ꝑ se auctor nõ est, verum colluuies vitiosorum humorũ, hydrargyro concitatorũ, quib. neruosum genus diuersimode afflictatũ hæc suffert infortunia: caussa per se ꝓbe discriminanda a caussa κατὰ συμβεβηκός. Calidissimũ hydrargyrũ æstimãtes ꝑnicissima eius mobilitate, ꝑpetuoq; motu virtuteq; impẽse dissoluẽte iure mouentur. Cõfirmant idẽ artifices infinitis effectib. Quod hydrargyrus ceu spiritus q-dã subtilis, aereus, & vaporosus, cuncta peruadit penetratq; etiã corpora solidissima metallorũ, vt auri argentiq;. Anatomia spagyrica interanea ei⁹ ꝑuestigãtes, subalbedine illa sꝑficiaria insignẽ rubedinẽ deprehẽdũt, cũ liquore dulci atq; flagrante eius efficaciæ, vt solidissimã metallorũ cõpagem momento recludere valeat, cuius nec aqua stygia nec similia. Quodsi illud tãtopere improbandũ, & virulento sputo exstinguendum, quod mercuriũ ꝓ basi agnoscat, e medio prius illi non nisi sua stercora sapientes probantesq;

vnguenta, emplastraque mercurialia passim in dispensatoriis obuia, tollant, expungantque, quam cingulum hoc mercuriale. Si cingulum, vt topicum rite administratum, ex diametro. Hippocrat. *loco citato* reclamat: cur non illorum sordida vnguenta emplastraq; mercurium profitentia obganniunt eidem? omni scabiei mederi nõ præmissis vniuersalibus, vt legitima purgatione & phlebotomia (quamquam nec semper in scabie vniuersalia locũ habere videntur. *Aphor.15.lib.* At vero, vbi fauces ægrotant, aut tubercula e corpore pullulant, excretiones considerare oportet. Nam si biliosæ fuerint, interna viscera vna ægrotant: quod si sanorum excretionem præ se ferunt, corpus alere tutum est: vt quando cõtingit critice & a natura victoria vitiosorum humorũ potita, reliquias caussarum morbificarum ad cutem, tanq̃ locum conferentem & ignobilẽ protrudi, internis partibus omnibus saluis) cingulum mercuriale affingitur

huius

huius duntaxat auctoribus. Verum enimuero etiam hac affictione affirmata, & concesso, cingulum tale omnem curare scabiem, quid amabo absurdi committitur? Si omnem scabiei caussam, quam tamen Galenus & plerique Medic. salsum, mordacem, putremque humorum seu potius tales ἰχῶρας asserunt, discutiendi, extrahendi, intemperiem cutis emendandi facultates obtinet, experientia quotidiana contestante, quid præter rationẽ cõmittitur, absurdique dicitur? Quare cum ipse hydrargyrus innoxie hauriatur & vtiliter exhibeatur, nulla deleteria qualitate contaminatus, nihil obstabit, quin non maiori fructu & incolumitate exterius topiceque in cotidianum vsum veniat. Quæ in defensionem veri & chymicæ dispicienda duxi, & misochymicis respondendum, qui nihil, nisi quæ ipsi fecerint consuluerintque rectũ probandumque putant: cetera incognita pro venenis & nocentissimis exspuunt, quo virulento

ſputo & cingulum mercuriale mihi quidem nunquam vſurpatum at felicitate vſus perſpectum contumelioſe conſpuunt, ignominioſoque titulo tũ eius auctorem nequiter afficiunt.

QVÆSTIO L.

An oleo vitrioli in febre maligna vti liceat?

οἱ ἀποφατικοὶ λόγοι. Argumenta affirmatiua.

I.

CAlcanthum ſeu vitriolum Dioſcorid. lib. 5. de materia medica. cap. 74. & Galenus lib. 9. de Simpl. Facult. capit. proprio, erodentis ac ſepticæ facultatis eſt particeps. Ergo in calidiſſimo & periculoſiſſimo morbo, qualis eſt febris maligna, non exhibendum.

II.

Vehementiſſimo calcantho ἔφοδος naturæ & morbi in acutis acriter congredientiũ diſturbatur, criſiſq; impeditur ſperata.

III.

Minima doſi turbas excitare in corpore ante a febris acumine turbulento.

IV. Ca-

IV.

Caliditatem febrilem augere, teste Actuario lib. 6. sui Method. cap. 5. ob acrimoniam non vulgarem, quam id habet.

V.

Damnandum quod nullius probatorum auctoritate freti, eo vtamur.

VI.

Galen. lib. 10. Method. cap. 2. & 11. eiusdem operis cap. 9. calcanthinam aquam febribus putridis suspectam habuit, quoniam cuti admota astrictionem pororum cutis non modo facere nata sit, sed & nimiam corpori impertiat caliditatem.

VII.

Tutiora haberi remedia putredini resistentia ipso calcantho.

IIX.

Oleum terrestribus partibus ablatis plus incendii acquirere distillatione ipso calcantho.

IX.

Venenum vt omnibus metallis, ita & calcantho inest in febribus malignis perniciosum.

X.

Vomitum, Dioscoride teste, ciere, ideoque in febribus vomitum moturum calamitosum fore.

XI.

Oleum calcanthinum putredini resistit, valide obstructiones expedit, sudores prolicit: at maxima cum vehementia & augmēto caloris. Quare Gal doctore lib. 11. Meth. medend. cap. 10. de obstruentium plurimis calidis exsistentibus dimissis ea in vsum veniant, quæ moderate ista efficiunt, tutoq́.

XII.

Sudorem non esse proliciendum, non putredine sedata, obstructione reserata, & crassis dissectis detersisque: oleum calcanthinum ea eminenter & obstructione adhuc pertinaci hærente, præstat, quandoque crudorum plena sunt omnia. Ergo.

Τὰ καταφατικὰ cum λύσει τῶν ἀποφατικῶν.

I. Septicum esse nec Gal. nec Dioscorid. citatis locis volunt: sed cum maxima astrictione caliditatem non vulgarem calcanthum habere vtrumque conte-

contestari euidens textus ostendit: Esto tamen septicum vitriolum, quod non in vsum venit medicum, an oleũ itidem septicum erit? calcanthum heterogeneas habere partes, tum multa alia sibi admista, anatomia solerti constat. Vt & hoc. Oleum vitrioli aliquid virtutis alicuius heterogenei obtinere, sale colcothare, sulphure embryonato superstitibus. Quale ergo totũ, tale non erit pars? Nec eadem ratio totius impuri, quę esse debet partis depuratæ. II. Principium petunt: Nõdum enim demonstratum, crisin olei vitrioli exhibitione præpediri. Quod enim putredinem frangit, calorem febrilem compescit simul, vtroque edomito, natura in triumphum ducitur. oleo vitrioli rite exhibito prius egregie etiam aduersariis annuentibus præstatur. Ergo: non itaque crasin impedit, id quod naturam aduersus morbum iuuat. Et qui disturbare naturam potest orgasmo oleo vitrioli sedato? III. Ignorat elenchum, petitque

principium. IV. Et hoc petitur principiũ. Quomodo namq; caliditatẽ augere poteſt, putredine eius vſu coercita? Quod putredinẽ euincit, id & calorẽ reſtinguit febrilẽ, putrilagine natũ: oleũ vitrioli putredinẽ amolitur. *Ergo.* Actuarius de calcãtho exceſſu caloris intellectũ vult, non de oleo, q priſcis, vt & ſibi fuit ignotũ. V. Teſtimonia vtiliter vſurpati olei vitrioli exſtant paſſim in practicantiũ libris, conſiliis præſertim Cratonis, Montani, Rula. &c. Priſcorũ expetis. Nulla proſtant. Sed ſi ob eorum aſſenſus defectum experiẽtiæq; vacuitatem, oleo vitrioli vti nefas eſt, etiã nuper nata peregrina ſaluberrime tamen in vſum adhibita medicamenta exterminanda erunt. VI. Aq̃ calcanthinã foris adhibitã in febribus a putredine ex conſtipatione cutis natis Gal. ſuſpectã facilime concedimus: tum q aſtrictione ſua nimia vitriolo inexſiſtẽti ſtipatã cutem ſtipatiorem feciſſet, tum q pertinaciſſima conſtrictione pororum cutis calorẽ ex accidente præ-

te præter naturam incendiſſet, malũq; ſic auxiſſet. Sed aliã eſſe rationem remedii foris applicati, aliam vero intro aſſumẽdi palam eſt, multumq; diſtare vitriolum crudum, vel aq̃ vitriolatam ab oleo ſeu ſpiritu vitrioli, vt quę ſit virtus huius, non ſit eadem illius neceſſe ſit. VII. tutiora remedia ipſo oleo vitrioli haberi ad putredinem infringẽdum, nondũ eſt oſtẽſum. Tutũ remediũ id eſt, q̀ nihil noxæ corpori infert, plus præbet auxilii: eiusmodi eſt oleũ vitrioli ſeu ſpiritus. *Ergo*. Damnũ intuleris vſpiam: medicinæ id adſcribendũ per ſe non eſt, ſed imperito eius potius artifici, tũ adminiſtratori temerario. Acetoſa putredinem edomans tutiſſimũ per ſe & charum medicis ſimplex, ſed nõ iure & loco exhibitum, plus incõmodare, q̃ iuuare poteſt. IIX. Oleũ calcanthinũ terreſtribus partib. ſeiunctis inflãmans æſtuanſq; fieri: Ergo *ſuſpectæ vtilitatis in febre maligna*. Inſit pl⁹ flãmæ ardentis oleo, exhibeatur cũ refrigerãtib. guttarũ doſi, vim putredinẽ

compescendi inde adeptum, tutum & consultum erit remedium calorem olei vitrioli febrili cognatum opinaris? At hic ab illo oppugnatur. Nihil ergo metus a calore æstuante. Ego calorem simplicem & incendentem non dixerim. Qualitas mixti mixta est, non calore determinanda. Sed peracre oleũ vitrioli non venit in vsum febrium curandarum, sed spiritus potius seu oleũ vitrioli acidum, quod putredinem retundendi, & calorem febrilem exstinguendi, vim nullam obtinere negaueris, aut incendium inesse affirmaris: acetosis vegetabilibus cunctis idem demere, vel attribuere licebit, in febrium tamen curis frequentatissimis. Mirabilem autem vim spiritui vitrioli tum sulphris acido inesse febriles calores & incendia æstusque præter naturales restinguendi hoc patet documento: quod, quamuis ex sulphure combustibili educatur, tantum abest, eum flammæ concipiendæ esse obnoxium, vt etiam quo minus incendatur pulu s pyrius,

pyrius, capiſtro ſit impedimentoque, ſi vel tantillum eius huicce fuerit inſperſum. IX. Hoc principium petitur. An venenum quod ſummæ ſit aciditatis, acrimoniæq́; tum caliditatis? At tale acetum eſt in febribus exoptatiſſimum, tum ſuccus limonum, berberum, ribium, granatorum vinũ; quin etiam venenum nullum vſum corpori præſtat per ſe, & ſi hoc a veneno catalogo cenſuq́; venenorum excidit iure. Oleum tum ſpiritus vitrioli commodant apprime corpori humano. X. *Quod vomitum ciet, id in febre maligna calamitoſum. Oleum vitrioli vomitum ciet.* Ergo. Negatur connexum. Propoſitio & aſſumtum ignorat elenchum. An vomitus calamitoſus in febre maligna? Dico teſtimonio? ſit vẽtriculus onuſtus cruditate praua. Hæc non indicat ſui expulſionem pepaſmi expers? Cur ergo indicante affirmata, non indicatum affirmetur? Hippo. *lib. 2. Epid. Sect. 5.* vomitum docet moliendũ in epidemicis morbis. Aſſum-

tum negatur, tantum enim abeſt, vt vomitum ſpiritus vitrioli vel oleum vitrioli acidum cieat, vt eum etiam aliis incaſſum adminiſtratis, compeſcat effrenatum. XI. Contradictorium eſt: Si n. oleum vitrioli putredinem aufert, obſtructionemq; reſerat, vtique & calorem febrilẽ extinguet, tantũ abeſt, vt eundẽ ingeminet. Febris n. effectus eſt putredinis & hæc obſtructionis: Cauſſis cõtinentibus ſublatis, quomodo effectus perſiſtet, aut cõſtans acuetur? Reliquorũ vanitas patebit ex antecedentibus. negatur oleũ vitrioli cũ vehementia agere, calidiſſimum eſſe deobſtruens &c. XII. Affingunt id chymicis. Nunquam ab vllo exhibitũ oleum vitrioli, vt ſudorẽ moueat, ſed potius vt ea amoliatur, quorum auercuncandorum gratia Galen. *8. Meth.* Oxymel porrigendum iuſſit. Oxymel inquit, ſolum nec febres incendit & ſtrenue detergit & aperit. Et *lib. 11.* cunctis ætatibus vtile aſſerit: Et ait, *aceti acciſione parari, vt nec tuſſes excitet,*

nec

nec neruosa lædat, aut radat. In febribus præscribitur non refrigerandi gratia, sed ad tollendas obstructiones, detergenda glutinosa, crassa attenuanda & putredinem debellandam. Id virium quare oleo vitrioli vel spiritui derogādum iisdem principiis nato? Acetum frigidum dices, & oleum vitrioli calidum feruidum. Petis vtrobique principium. Quale vnum est, tale & alterum. Vin' probem. Effectis & palato doceberis tuo. Effectum, similitudo exstat eadem vbique: Palato idem sapor occurrit, &c.

QVÆSTIO LI.

An lapis Philosophicus medicina catholica seu vniuersalis.

Κα]ασκευαςικὰ Argumenta.

QVi affirmatiuam tuentur, his vniuersalitatem medicinæ argumētis potissimum propugnare satagunt.

I.

Morbus dumtaxat triplex est, ex caussa triplici. Ergo in curatione, vna quædam

medicina generalis, ex tribus compoſita, exſiſtere poteſt.

II.

Duo ſunt quæ corpus noſtrum fulciunt vitamque conſeruant, calor natiuus & humor radicalis, ſubſtantia calidi innati: quæ duo ſpiritu perfuſa connexaq; in omne corpus dimanant. His vna poteſt medicinæ proſpici.

III.

Morbus in homine nihil aliud eſt, quam affectio, qua impeditur functio ſpiritus vitæ. Ergo medicina, quæ ſpiritum ſubleuat, cunctis aliis vitam & animam ſuppeditabit.

IV.

Medicina vniuerſalis omnibus morbis præſtare ſalutem poteſt, tum ratione ſimilitudinis cum calore inſito, tum quia eſt incorruptibilis & omnibus morbis contraria.

V.

Notum omnibus eſt, curationem nunquam fieri, niſi natura ſuperante morbum. Seruandum itaque id, a quo agendi facul-

taa

tas procedit, & negligenda cetera: & per consequens nullum medicamenti genus exhiberi potest, vt prosit, nisi hæc catholica, qua corroboratus calor aduersus rem noxiam insurgens eam vincat & expellat.

VI.

Nisi vniuersalem illam certam & rebus consentientem artem animaduertissent viri illi sapientissimi, nunquam theoremata vniuersalia reliquissent, & posteris tanquam vera magno consensu tradidissent. Neque enim sequitur artem esse falsam, etiamsi pauci, aut fere nulli optatum consequantur finem. Nam effectus non est finis artis, qui arte vera exsistente errare potest.

Ανασκευαςικά.

I. Λύσις.

TRia ponuntur morborum genera ex triplici caussa nata: inter se ergo dissentanea & tota natura distincta a se inuicem. Sed qualia tria? an chymice genera intellecta an Galenice. Ibi morbus alius erit sulphuris, alius mercurii, alius vero salis. Hic morbus

alius erit partium ſimilarium, alius organicorũ, alius vtriuſq;. Verum vt nec hic, ita nec illic indicatur vna medicina triplici virtute dotata. Morbus vnus vnum indicat & indicat contrarium. Tria ſtatuuntur genera morborum & chymice & Galenice: tria ergo indicabuntur remedia vniuerſalia. Qui ergo vnum? An ſatis eſſe putas, tergemina medicinam eſſe dotatam virtute? Erit itaque ſulphurea, mercurialis & ſalſa medicina numero vna, tot facultatib. pollens. Si mercurius defecerit, ſulphur abundauerit, quomodo vtrique occurres vnica medicina etiam tergemina virtute nobilitata? reſarciat defectum mercurii: auferat excedẽs ſulphur. Gemina virtute eaque contraria in vnius medicinæ ſubiecto ſubſiſtẽte pellit morbos diſſentaneos. Sulphur deficiat excedente mercurio. An medicina catholica defectũ mercurii ante reſtituẽdo, exſuperantiã eiuſdẽ iam demet? ſed ſic nõ triplici facultate, ſextuplici erit lucupletatus miraculoſe.

Medi-

Medicinam defectum restaurantẽ & tollentem exsuperantiã vnius eiusdẽ rei, quis Deorum nobis suppeditabit? eadem si generalis est, oportet aut dissentanee aut consentanee affectã, aut vtroq; modo esse. Vni itaq; remedium familiare duobus repugnabit; generibus morborũ tribus inter se pugnantibus, sicq; ad vnũ reducẽda genera tria morborum. Omnis curatio perficitur dięta pharmacacia & chirurgia: omnium vim quomodo habebit lapis Philosophorũ? An & luxata reponere potest solus? Ergo iis inerit principiis chymicis, quibus lapis Philosophorum est conflatus, restituendi luxata. Procul ergo glossocomium Hippocrat. & tota carnificina chirurgorum. Gal. morbi sunt in intemperie, organis & vnitate. Tribus his medebitur lapis Philosophorũ per se? An quia triplici virtute est dotatus? At intẽperies est quadruplex, organorũ vitia morbiq; multiplices. Si ergo lapis est catholica medicina, infinitis præditus erit virtutib.

cadet ergo triplex virtus & catholicũ. Per ſe nunquam medicabitur, calida frigida, dyſcraſiam omnem cum materia obliqua per ſe, qui corriget? deficientia reſarciet? reduntántia tollet? anguſta dilátabit? dilatata contrahet? diuiſa vniet? vnita dividet? an triplici facultate hæc cuncta exſequetur? tria genera occúpent morborum corpus ſingulare: adminiſtretur medicina catholica ter gemina virtute prædita, redundantia detrahendi, deficientia adiiciendi &c. operetur medicina ſimul in actu, a natura euocata, nonne facultates iſtæ contrariæ commutabuntur, facultas reſarciẽdi cum facultate ſuſtulendi? Hectico dato medicinam hanc, triplici virtute eminentem, tantum aberit refocillatum inde iri hecticum, vt deterius potius ſit habiturus ad maraſmum breui redactus, nulla iſtarum virtute ociante, naturaliter affectis ita, vt quantum facultas reſtaurandi proficiat, tantum demendi δύναμις deſtruet. Generalitas medicinæ

cinæ nullius eſſe vſus demonſtratur, & inde, quod generalis non ſit, niſi generalis actio & indeterminata: at morborum genera licet ponantur in tria diſtincta, ea tamen qua generalia ſunt, non curantur, ſed ſpeciales dumtaxat morbi ſingularium, quibus ſolis debetur ſanatio. Oportebit itaque genericam facultatem reſtrictam eſſe, & aliquo additamento ad ſpeciem ſingularem reuocatam. At ſic tergeminum Geryonē deponet, & generalitatem multiiugi determinatione permutabit, pro diuerſitate partium non modo diuerſimode conſtitutarum, vt varios proferant morbos, eoſque cōtrarios, ſed & ita affectarum, vt vnū eundemque morbum diſſimilium indiuiduorum partes occupantem eaſdem, variare contingat, ideoque & remedium alio atque alio modo affectum opponendum & ad ἰδιοσυγκρασίαν directū: modo laudabile quid efficere velimus, ποικίλως conſtruenda.

II. Λύσις.

Calido natiuo totum noſtrum corpus fulcitur conſeruaturq;. Ergo vnica medicina poteſt huic conſuli. ἀπροσδιόνυσα: conſtet corpus noſtrũ calidi natiui vigore integrum. lãguefiat idẽ, medicina ne vniuerſali releuabitur? nutrimentũ itaq; erit. Nam calidum natiuũ conſeruari ſinceri ſanguinis nutrimẽto notũ eſt. Nutrimẽtum eſſe nequit: quia alimoniæ limites arte ſpagyriæ tranſiliit, ſubtilius ſiquidem & ſpirituoſius, quam vt in ſanguinẽ abeat more omnis nutrimenti, & calidum natiuũ conſeruantis. Quod eiuſmodi nõ eſt, fulcimentũ & analepticum calidi natiui eſſe nequit. Quin & cõtrouerſum eſt, vtrum eſſentificum aut eſſatum, qualis eſt lapis Philoſophorum, ita cõparatum ſit, vt calidum natiuum labile refocillare queat. Si potis eſt, analogiam & affinitatem cum eo habeat neceſſe eſt: ſimile namque conſeruatur ſimili: Quam εὔκρατον autem ſit calidum noſtrum innatum pro diuer-

ſitate

ſitate ſubiectorum quamque variegatum in propatulo eſt. Num lapis Philoſophorum famoſiſſimus pari reſplẽdeſcat eucraſia, principia tum artificia vix perdocebunt. Donabimus virtutis eſſe eximiæ reſtaurandi & fulciendi ἔμφυτον τὸ θερμόν. Actio eius in ſpirituoſa conſiſtit eſſentia. Nihil ergo firmi, nihilque ſolidi inde ſperandum. Omnis enim eſſentia fugax, taliſque actio & momentanea. Largiamur tamẽ hoc lapidi, conſeruationẽ calidi natiui tribuentes. Conſectariumne erit, vnica medicina eaq; vniuerſali eidẽ ſuccurri poſſe? At nutrimentum etiã vndiquaq̃ bonum, nõ ſemper iuuare poteſt calidum natiuum præter naturam affectũ: quomodo ergo lapis Philoſophorũ minus ei affinis? ſit impurũ, deficiat, abundet ex plethora, ſit itẽ venenata qualitate ab aptitudine ad functiones vitales deiectũ: ſanabitne hæc & infinita alia vnica medicina? Plethorã tollet ſine venæ ſectione? Reſtauret tamen calidum exiguum: impurum

emendet; torpidum frigidumque calefaciat, recreetque, catholici poteſtatem nondum tamen expleuit. Vt enim non omnis morbus ex calido natiuo dependet, male affecto κατὰ φύσιν ita nec medicina vniuerſalis illa dici poteſt, quæ ſoli illi opitulatur ſanatque. Organica vitia morbique inſtrumentales tum communes, ſaluo maxima ex parte calido natiuo, oboriuntur, ſique affectum eſt, id præter naturam afficitur ſymptomatice, labeſque eius morborum iſtorum genituram neutiquam attingit, adeo, vt ea abſterſa organicum vel commune vitium morbuſque propterea non ſit ſublatum. Vt vt hic calido natiuo opē tuleris ſtrenuam, nihil proficies: nec eius robore giganteo ſarcoma, varicē, ancuriſma aut enterocelen ſanabis. Non dicam iam medicinam illam catholicam, non triplici oportere eſſe inſtructam facultate, ſed cuiuſq; mēbri peculiaris ſingulari virtute imbutam: alioquin vix calidum natiuum

iuuare

iuuare poteſt. Hoc namque ſanguinis ſpiritu ad omnes corporis partes accommodatum eſt, & in iis peculiariter informatum, quo non facto, procurator ſingularum functionum nequiret eſſe. Lapidem Philoſophorum tot ſingularibus pollere viribus proprietatibusq;, nemo ſanę mentis dixerit, nequit ergo eſſe reſtaurator alexicacoſq; verus calidi natiui.

III. Λύσις.

Si in ſolo ſpiritu vitæ ſtabulantur morbi: quare mercurium, ſalem & ſulphur tum tartarum producunt, & tartareos ſulphureos mercurialesque cōminiſcuntur affectus. Falſa etiā definitio, qua morbus definitur affectio, qua impeditur functio ſpiritus vitæ. Nulli ergo affectus læſarum actionum animalium naturaliumque. At ſunt plurimæ læſiones functionum animalium naturaliumque. Ergo *non ſolius vitæ ſpiritus*. Quid? morbi obſident partes naturales, animales, vitali ſpiritu inte-

gro illæſoq; perſiſtente, non tamen ꝓ-
fligantur contumaces. Obratiocinor
igitur: ſi morbi varii variantes corporis
partes incurrere poſſunt ſpiritu vitæ
vegeto, nec hoc ii diſpelluntur vnq̃: nõ
modo non omnis in ſpiritu vitæ erit
morbus, ſed & quadruplo, medicina v-
niuerſali reſtauratus nõ tamen amoliri
aliarum corporis partium, animalium
puta naturaliumque poterit morbos.
Antecedens verũ: Ergo & conſequẽs.
Affectus ventriculi, meſenterii, hepa-
tis, veſicę, renũ, plurimi in corpore gli-
ſcant contumaciſſimi: & tamẽ vegetat
ſpiritus vitæ: cur, ſi eſt integritate pol-
lens, tum nõ iſta auerruncant mala? ſi
ſecundum naturam integre conſtitu-
tus excutere morbos nequit, quomo-
do præter naturam affectus & lapide
Philoſophico refocillatus id poterit?
Morbum gallicum, podagrã, elephã-
tiaſin, calculum veſicæ, hydropẽ: quæ
omnia intaminato ſpiritu vitæ partes
alias corporis affligunt: ſanet ſpiritus
vitæ tum integer vlteriuſque redinte-
grandus

randus lapide Philoſophico? Equidē, ſi omnis morbus foret in ſpiritu vitæ, chronicos morbos vnquā eſſe poſſe tibi pſuadebis? omnis foret fœliciſſima curatio momentaneaq; At ſunt pertinaciſſimi morbi tā alte radices agētes, vt mochlicis pharmacis non poſſint euelli. Subiectū ergo quorundā erit fixum ſtabile. Cuiuſmodi nō eſt ſpiritus vitæ, q inſtabilis ſingulis momentis fugax, diſſipabilis, quo ppetuo euolante, cur nō ſimul affectus ibidē inhęrens fit euanidus? non tam ridiculum q̃ abſurdum, ſpiritū vitæ medicina ſubleuatū vitā cunctis aliis animāq; ſuppeditare. Medicina ergo lapidis Philoſoph. animā dabit? cur ergo nō exſuſcitat mortuos? bella medicina imo diuina. Si animā ſugerrere poteſt, etiā anus vetulaſq; renouabit interpolabitque. Si n. maius pſtare poterit, pſtabit & minus. O fœlicē ergo medicum, cui tam diuina & omnipotens contigit medicina. Verum ſpiritus vitæ nō dat vitā membris, ſed eam ſaltem inſtrumentaliter

administrat, ita vt singulis partibus nisi ipsæmet per se viuant, vitam largiri non possit, sed saltem cum calore socio earum potentias in actum vocare, cum is omnino non actuat, mortem quasi inducit. Morbifer vero aut vitam singularum partium nõ recte gubernans, nec debite in actum vocans: quia sic præter naturam est constitutus, afficit simul membra, atque ita fit morborũ vel symptomatum vel passionum caussa, sed non omnium. Nec etiam dato: omnem morbum in spiritu residere vitæ, omnis propterea lapide Philosophico sanabitur. Nam caussa mali sublata a spiritu vitæ esse potest, at non necesse est effectum ꝓtinus ablatum. Vbi caussa continens in actu, & morbus in fieri adhuc est: ea sublata tollitur. Vbi vero vel non est, sed fuit, vel est quidem, ad affectus in habitum abiit, etiam pendet a caussa, eaque vltima, & tangente non potest. Consequens non est, spiritu vitæ restituto ascitem aut febrem hecticam sanari:

nari: Hæc enim iam non amplius ab illo patitur, ſed ſuo malo ardet. Itaque quod generaliter ad ſpiritum vitæ ſanandum comparatum eſt, non ſtatim etiam in ſpecie ſingulorum membrorum affectus proprios ſanat, ſed id fiet tunc, cum nondum affectus impreſſus eſt, & is ab eo ſolo dependet.

IV. Λύσις.

Quarto argumento petunt principium turpi elencho inanique. Vt pateſiat falſitas dilucidius dianoia ſyllogiſtice fiat. *Quidquid calori inſito eſt analogon, tum & incorruptibile & omnibus morbis contrarium, illud eſt catholica medicina. Lapis Philoſophorum eſt calori natiuo ſimilis, incorruptibilis, tum omnibus morbis contrarius.* Ergo. Negatur connexum. Et qui calori natiuo ſimile id, quod incorruptibile eſt, eſſe poteſt? calor natiuus corruptibilis eſt, qui ſingulis momentis per ἀδιεώρητον διαπνοὴν exhalet in perenni generatione conſiſtens: quæ ergo ſimilitudo inter

corruptibile & incorruptile esse po-
test? sit analogus calori natiuo. nond
tamē fugabit omnes morbos. Et vin
analogon calori natiuo, tantū abest ta
mē, hoc tollere omnes morbos, vt plu
rimos ingeneret. Quid ergo analogi
rei ad calorem natiuū? calor optime
habens nō omnes sanat morbos, im
paucos, nec generationē eorū ꝓhibe
re potest. Nec sanabit idē totū morbo
rū agmē furiale etiā atq; etiā corrobo
ratus analogo. Quid viriū is obtinet, i
sanando morbo gallico, elephātiasi i
vlceribus &c. Similitudinē & analogi
eius cū calore natiuo, principia, ex q
conflatus prædicatur, conuellere vidē
tur. Omnes n. chymici eū ex mercuri
& metallis ꝑfectiorib. faciunt. At me
tallorū cum calore insito nostro null
est analogia: q̄ calor natiuus animal
rationem habeat, humane in nobis d
spositus, nec similis esse potest, nisi in
formetur a potētia nostra naturali: A
inuictus & incorruptilis dicitur. Pra
terea omnib. morbis dicitur cōtrariu
est

esse & potius longe calor natiuus noster? sed vt hoc falsum: ita & illud falsissimũ. Olim oportuit medicinam morbo similẽ esse, iam Galeni mente contrariã. Esto contrarius. Ergo & morbis cõmunibus, organicis. At hoc falso falsius. Ergo non cunctis erit contraria medicina, sunt morbi tartarei, sulphurei, mercuriales. Hisne tribus cunctis erit contraria medicina? At vũ vni dũtaxat contrarium. Quin etiam constat lapis ex mercurio & sulphure, nõ fugitiuis illis vulgaribus, similis ergo radice & principiis essentialibus morbis sulphureis & mercurialibus. Abundantiæ humorũ aduersetur, & diaphoresi ignea subtilique dissipet humiditates, quomodo repugnabit siccitati hecticæ? V. Λύσις.

Notũ quidẽ est, raro curationẽ fieri, non superãte morbũ natura. At nunq̃ curationẽ fieri posse nisi superante natura morbũ, nondũ vsq; adeo innotuit. Hoc medicis exploratũ est: multos morbos esse naturę incurabiles. Hos

medicatur medicus triumphata natura, luxata reponit, fracta coadunat, & plura exſequitur medicus, quorũ curatio a natura ſuperante procurari in æternum non poſſet. Concedatur tamen, morbum ſanare, eſſe naturam ad priſtinam integritatem, a qua per morbũ deiecta eſt, reuocare. Largiamur item fieri id, maxime per naturã administrante medico ea, quibus excitetur opus roboreturque, & tollente aduerſa moleſtaque. Seruanda non tamen erit ſola natura, ſeu id quod agendi facultatem confert, quod calorem nominat. Is ergo ſolus curandus, fouendus ceteris abiectis? ſi ſolus curat non opus erit medico nec medicina. At ſolus ſanare nequit. Optime n. conſtitutus, morbos tamen a ſe non abigit, ſed medico relinquit depellendos. Sanet tamen ſolus lapide corroboratus ſi fors langueret. Conſequens tamen non erit, omnia contemnenda, excepto lapide Philoſophico: nec vllum medicamentum proficuum exhiberi

hiberi posse. Si omnia abiicienda cur non & lapis Philosophicus abiiciēdus? Si nullum medicamētum proficuum exhiberi potest, nec lapis Philosophicus? At exhibendus. Quia eo corroboratus calor natiuus aduersus rē noxiam insurgens eam vincit atque expellit. Corroboratur idem cibis potuque iure & loco porrectis: corroboratur itidem medicamentis plerisque κατὰ λόγον administratis: tumque maxime quando oppressus est vel plethora, vel cacochymica plethora, vel cacochymia sin non per se, vt nutritiis rebus, attamen ex accidente, onere releuatus scilicet. Non ergo omne repudiandum medicamenti genus, vt prosit: Athleticum corporis habitum ægritudine detentū, curaturus, omne medicamenti genus spernes, solo lapide tuo contentus? Quid proficies plethora distentissimo corporis habitu? nonne plus profeceris τῷ τὴν εὐεξίην λύειν, idque non lapide Philosophico sed chirurgia? Non ergo per lapidem re-

creato calore natiuo, omnis fugabitur hoſtis, nec vniuerſalis medicina poteſt eſſe propterea. Illud ex antecedẽtibus patebit ſatis. Hoc exinde. Si vniuerſalis eſt medicina, non erit dũtaxat vniuerſaliter affecta, ſed & ad ſingulares naturas ſigillatim diſpoſita, ſi ꝓprie & per ſe iuuabit. *Quod n. vnius membri naturæ congruit, id non admittit reliquorũ niſi immutatum. At lapis Philoſophicus generice affectus eſt, non ſigillatim ad ſingulares naturas. Non igitur catholica medicina.* Iuuet & vniuerſalia, non pariter particularia. Hæc enim ægre ſe habere poſſunt, illis ſatis commode pancraticeque valentibus. Crurum vel brachii tabes particularis immedicabilis perſtare poteſt, vniuerſalibus, calore ſpirituq; inculpatis. Porrige lapidem, quo corroboretur calor natiuus. An ſi ante eſt expers labis integerq; non ſuſtulit cachexiã partis, quomodo roboratus auferet nullius roboris indigus? imo quia tabem vel cauſſam tabis ex compreſſione vel obſtructione vaſorum vt plu-

plurimũ, tum dyſcraſia partis obortæ, tollere non valebat, calor integer natiuus, ſpirituſq; aduolans, ſæpiuſq; deprauetur vterq; cõtagione partis tabificæ: conſectarium eſt, catholicã medicinã non modo nõ eſſe talẽ, ſed nec calorem natiuum ea recreatũ omnib. mederi morbis. Quapropter ſi nõ vno modo, nec vna natura, nec omnes afficiũtur, ſed pene iñumeris & inexplicabilib. interdũ, variæq; ſimul exiſtũt & implicãtur variæ affectiones, multo minus vnũ medicamẽtũ naturale, cui9 eſt p ſe eodẽ modo agere ſemp, pficiet φύσεις ἰητροὶ τῶν νούσων. Natura igitur iuuãda. Sed iuuatur nõ vno in omnib. modo. Sæpe natura per ſe valet, & dũtaxat impeditur, ſiue q instrumenta vniuerſalia nõ ſint præſto, vt cũ obſtructione pſente ſanguis nõ poteſt peruenire ad mẽbrũ, aut excremẽta recte ſecedere. Siue q aliquid externæ inſint noxæ, q̃ nequeat ſola expellere, vt cum vermis nat9 inter caluariã lãcinat depaſciturq; partes: ſiue q non poſſit continere id,

quod aduenit, vt rupto magno vase, in vulnere, aut nimiis pororum laxitatibus. Tum certe frustra nos conuertimus ad solam naturam, eamque validam medicina calori familiari reddere annitimur: obstructio tollenda est: effugia adminiculorum obturanda: molestum quod est, auellendum: partes vinctæ aut luxatæ restituendæ. Lapide Philosophico? obstructiones paruas expediet, vt paralysis humoribus tenuibus ab ignea medicina concoctu & dissipatu facilimis. Nõ perinde a calculo duro a caruncalis in vrethra, a crasso phlegmate, grumo, pure natas obstructiones pertinaces diaphoreticus lapis tollet? Ruptam venã exesam nunquam consolidabit, coadunabitq; lapis Philosophorum, etiam inde calore natiuo corroborato impense.

VI. Λύσις.

Et sexto petitur principium, vt enim dubitatur merito, vtrum veteres sapientissimi theoremata vniuersalia, abso-

abſoluta, perſpicua immotaque nec demonſtratione, nec experientia indigentia de medicina vniuerſali tradiderint: ita & multo magis de veritate & affirmatione lapidis Philoſophici comparandi tantum litis, dubii & incertitudinis eſt, quantum pauciores habet item veraces & locupletes poſſeſſores. Non ſi theorema vniuerſale, ideo & medicina erit vniuerſalis. Hoc negatum hactenus eſt, quid ni & illud negabitur: hoc enim ab illo natum. Et quomodo præcepta vniuerſalia ea eſſe poſſunt, quæ ad tot deuias particulares vias deducunt laboraturum? Abſoluta? *Quod complemento habet opus illud nō poteſt eſſe abſolutum. Eiusmodi ſunt theoremata* de lapide Philoſoph. Ergo. perſpicua? Annon plurima mendacia, fabulas, ænigmata ſuis liberis ingeſſerūt? Hæc perſpicua ne? Hieroglyphica pſpicua? parabolica item. At pleraque ſi non omnia lapidem Philoſophicum attingentia parabolice ſunt a priſcis tradita. Non ergo omnia perſpicua;

imo pauca. Immota? cur ergo alter alteri contradixit? Vnde tot errata tot offendicula, nunc hoc, nunc illud ad materiam lapidis petentium? Demōstratione & experientia non esse destituta? Quis a Mundi origine lapide Philosophico omnes sanauit morbos? prodeat assertor. Testimonia promat, non omnium curatorum morborum, sed depulsorum dumtaxat pluriū aut paucorum. Dementis est ad illos homines fidem sine experientia alligare, qui obscurissime de arte sunt locuti, nec inueniunt, qui id, quod volunt aut assequatur, aut facto demonstret. Verum est, non sequi, artem esse falsam, etiamsi pauci optatum consequantur finem, somnium est & phātasma, nullum artis consequi finem, artem tamē esse. Medici vt & alii artifices non semper assequuntur finem artis: at ars tamen vera certaque: qui autem credam artem esse, cuius nulla exsistunt opera? si nullus artifex assequitur finem artis optatum, ars aut nulla est, aut temeraria.

ria. nulla est ideo. quia omnis exstruitur per experientiam certam, immotam & dum dicitur, simul confirmatur exemplis. Vera non esse putatur, cuius in agendo nihil comperitur veri. Temeraria iudicatur, si ab vno aut altero conscripta, ceteris non prodest. Friuolum est, effectum artis, non esse finem artis? quorsum tendunt artis præcepta, nisi vt aliquid fiat? ars est forma & idea artificis, quam sequitur. si secundum hanc operatur, reliquis astipulantibus, non debet aberrare, & si non potest propter externas circumstantias ad finem peruenire: tamen in partibus & vbiuis bene agere debet, alias artem vel non didicit, vel non exercuit: quæ vero artis theoremata sunt, quorũ documenta inter tot præclara ingenia, quæ ea ad praxin vocarunt, adhuc delitescunt? vniuersalis medicinæ experimento ab omni mundi memoria adhuc desiderato.

QVÆSTIO LII.

An remedia similia vel contraria inuestiganda: seu an similibus similia: an vero contraria contrariis

CHymicorum enunciatum atque præceptum est, *similia curari similibus*: Galenicorum e diametro oppositum, *contraria contrariis curari* lege τῆς ὑπεναντιώσιος Hippocr. Quæritur iure, *num effata contradicant sibi*. Equidem tam ardens fuit bellum inter chymicos & Galenicos, vt ob hoc solum controuersum, sibi inuicem neutiquam conuenire posse in æternum, putatũ sit hactenus. Sed respondetur nullam esse contradictionem, quod vtraque enunciatio non πρὸς ταυτὸ differat candide intellecta. Similia curari volunt similibus chymici & curantur. Quo argumento? natura ea est quæ morbo aduersetur, ipsum fugando. Hinc Hippoc. 6. *Epid. comment.* 5. φύσιες ἰητροὶ τῶν νόσων. Vnde Gal. 1. *de ratio. victus in morb.*

morb.acutis. com. 45. præcipuum ſcopũ illum eſſe affirmat, qui a virtute ſumitur. Si itaque natura eſt morborum curatrix, & natura conſeruatur refocillaturque ſimilibus, iudicio & auct. Gal. cur tantopere obſtrepunt chymicis, hoc præcepto, nil niſi tutelam naturæ, vnice obſeruandæ, præcauendæ & curandæ docentibus, ſuis remediis eſſentiis naturam vacillantem ſubleuare pro virili ſatagentibus. Idipſum & Hipp. Galenicis ſic dictis & habendis, vix tamen textum minimum vnq̃ Gal. perſcrutatis, dilucide de veteri medicina: quin etiam quæ in fauces delabuntur ex quibus raucedines, anginæ, eryſipelata, peripneumoniæ animaduertamus: cuncta hæc ineunte fluxu ſalſa & humida acriaq; affluunt, & in talibus incrementis morbi augeſcunt. Vbi vero craſſa euaſerint ac pepaſmo mitigata fuerint, & ab omni acrimonia aliena euaſerint, tum ilico tum febres ſoluuntur, tum cetera quæ hominem affligebãt, miteſcunt. Præ-

terea cuncta alia mala q̄bus affligitur homo, ea omnia ex succorũ potentiis ꝓficiscuntur: verbi caussa, si amaro q̄dã secernatur, quã bilem flauã appellamus, quales ilico iactationes & æstus incandescentia, & ꝓsternatio virium inuoluunt. Verum liberari ab illa nonnunq̄, aut vltro aut pharmaco purgati modo loco & tempore quid horũ factum fuerit, liquido & doloribus & ardoribus defunguntur. Quam diu autẽ eadem mole turgida & pepasmi expertia & immoderata fuerint, nulla arte nec dolores nec febres placari poterunt, &c. Neque horum finis, priusq̄ iidẽ excludãtur, & sedentur & aliis remisceantur. Concoqui autẽ & mutari attenuariq; ac crassescere in aliam humorum ideam oportet (quapropter & crises & numeri temporũ in his talib. plurimum valent) verum hæc cuncta euenire calido aut frigido minime omnium consentaneum est: cum nec putrescere nec crassescere queant. Item in antecedentibus hæc: cetera

vero

vero cuncta quæ ex ſuccorum acrimonia & intemperantia oriri aſſero, reſtituuntur ac redintegrantur, vbi temperata fuerint & concocta. Dolor præterea, æſtus, ac ſummus ardor, aliquandiu fatigat, donec ſcilicet rheumata coctione edomita fuerint, ac craſſamentum nacta, ac lemæ ab ipſis gignantur. Fit autem coctio ex mixtione & temperatura mutua, mutuaque velut elixatione. Ex his & pluribus aliis locis manifeſtum fit, curationem plerorumque morborum naturæ deberi, ſoli pepaſmum & criſin procuranti: vt autē impedita a morbo afflictaq; ſuſcitetur, expediēda veniet corroborandaq́;, idq; non per contraria, ſed ſimilia, ſiquidē his fit naturę cōſeruatio redintegratioq́;, idē *lib. 1. Aph. pag. 16. Diætæ,* inquit, *humidæ febricitantibus omnibus accommodatæ ſunt, maxime vero pueris atque aliis, qui ſic diætam inſtituerunt.* Annon hoc Aphor. ſimilia ſimilibus curat Hippo. & contraria contrariis, magis tamen illud quam

hoc? Humiditate namque præsertim in putridis febribus, per cibos ad putredinem natos, facile addit morbo potius, quam vt demat quicquam, & tamen naturæ morbi vi oppressæ studens vnice offert victum similem & pueris per se humiditate diffluentib. Plerique morborum vniuersaliũ præsertim, terminantur crisi, medicorum nullo dissentiente: & quia crisi, etiam, natura omnis crisis auctore. Attitubat hæc medico, ergo erigenda: quomodo? analepticis propriis victuq; congruo per similia, quibus quam maxime chymici inuigilant. Annuit his Gal. *lib.13. Method. Meden. præcipua* inquit *intentio medici esse debet, ad naturalẽ statum reducere laborantem, & quod ceteris neglectis, vna adhibenda cura est, vt illud conseruemus a quo agendi facultas procedit.* Hæc autem consistit in calido innato, quod dum validum est, nec impeditum, corpus innoxium conseruat, ita, vt quidquam corpori accesserit præter naturam, quod sit amouendum,

dum, ſemper calido naturali valido e-
gere, indubitatum axioma ſit. Et quã-
uis in externis morbis & in quibuſdam
aliis, nihil conferre calor naturalis vi-
deatur, vt in amolitione hyperſarcoſis
in vulnere, vel diſtantium labiorũ reu-
nione, tamen coniunctio & carnis ge-
neratio & cicatricis inductio non fiũt,
niſi ab ipſomet calido innato. Hoc
autem labefactatum indicat ſui reſti-
tutionem non ſane per contraria, ve-
rum per ſimilia, ſi ſimilia conſeruãtur
ſimilibus & contraria oppugnantur
contrariis. At, inquies, cacochymia
preſſum turgente, qui per ſimilia etiã
eſſentialia refocillari poterit, illa non
ſubleuatum? Hippocr. cum ratione
ſuccum prauum ſubducẽdum docet.
Nam Aphor. *2. lib. Par. 2.* ἀπὸ πλησμονῆς
ὁκόσα ἂν νοσήματα. γένηται κένωσις ἴηται, καὶ ὁκόσα
ὑπὸ κενώσιος πολησμονὴ. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπε-
ναντίωσις, quibus remediis? ſimilibus ne
an contrariis? Chymicos & Galenicos
hic diſſentaneos eſſe nondum vidi,
vtriſque per ſimilia quaſi curantibus,

Gal. *1.lib. Naturaliam facult.* ex Hipp. naturæ potentiam enarrans, ait, in corporibus nostris vnum conspiratũ conflaxũq; esse: q Hipp. *in lib.de alimento*, tum *lib.6.Epidemi.sect.6.* protulit, naturamque iustã & solam animalib. sufficere dixit: ipsamq; per se sine doctore, quæ opus sunt, agere, indeq; facultates sibi inesse, alteram qua sibi conueniẽs attrahat, alteram qua alienum a se depellat: vt & illud ex communi medicorum consensu, ne dum Hippoc. alia medicamenta purgare flauam bilem, alia nigram, alia pituitam, alia aquosam & tenue excrementum asserit: quod & ipsum idem Hippo. *lib. de Natura hominum* cõceptis verbis affirmauit. Itaq; Galẽ. medicamẽtis vim attractoriam quantam tribuit, qua familiares sibi humores trahant. Vnde scammonium bilem, carthamus pituitam, epithymum atram bilem, brassica marina aquosos & serosos humores analogia quadã & familiaritate, similitudineque substantiæ habere dicuntur.

Quæ

Quæ mens Gal. fuit tum *lib. 1. de Naturali, & de const. artis Med. li. 3. de simp. facul. c. 24.* Quã ille sententiã a magistro suo totius medicinæ parente Hippoc. mutuasse est visus, qui de ea re ex professo lib. de natura humana loquens sic ait. *Etenim Pharmacum*, inquit, *vbi corpus intrauerit, primum quidem ducit, id quod ex omnibus in corpore exsistentibus sibi maxime secundum naturã familiare fuerit, deinde vero etiam alia trahit ac purgat.* Ex quo loco videre est, soluentia medicamenta familiares sibi secundum naturam humores, nec habere solum, sed etiam ducere atque purgare, quod Galen. itidem sentit. *lib. de Natural. facultatibus primo.* Quod mox Hipp. supra citato loco similitudine quadam appositissima cõfirmat, inquiens; *quemadmodum ex terra nascentia, & in ipsa plantata ac seminata, vbi in terram peruenerint, vnumquodque trahit id, quod naturæ familiare suæ, in terra exsistit (inest autem in terra & acidum, & amarum, &*

dulce, & salsum & omnigenum) primum itaque plurimum trahit in seipsum quod sibi ipsi iuxta naturam maxime familiare fuerit, deinde trahit etiam reliqua. Huiusmodi sane quiddam etiam pharmaca in corpore faciunt, quæ quoque plurimum humoris trahunt, qui illis familiaris fuerit: quem sane attractum substantiarum similitudine fieri vult Hippocrat. alioquin nunquam medicamenta familiarem sibi humorem habere, fuisset dicturus: ob id namq; familiarem medicamenta humorem, quod humor quadantenus attrahenti medicamento similis sit atque familiaris. Similia remedia similitudine & familiaritate quadam agētia & noxios humores educentia Galeno & Hipp. talia ex enarratis apertum est, fuisse. Nō itaq; chymicis similibus curatio affingenda solis, quorum methodus æque in præter naturalium humorum expurgatione consistit, quam priscis dogmaticis, sed per specifica & caussis quidem similia, morbis vero contraria.

ria. Calculum a tartaro seu sale coagulato factum curant, sale quidem, sed resoluente. Arthritidi a salibus tartareis acribus ac corrosiuis genitæ medentur lenitiuis & consolidatiuis. Sic morbis sulphureis occurrunt remediis a sulphuribus petitis. Sed sulphuri inflammatorio febrem excitanti, opponitur sulphur acidum vitriolatum summe refrigerans, sulphureosque illorum commoto spiritus coagulans atque compescens. Tophi podagrici indicāt sui attenuationem vel resolutionem, vt & alii humores coagulati. calidis & siccantibus, id si tentaueris, tenuioribus succis dissipatis, restagnās indurescet solidius, sicque malum ingeminabis. Specificum indicatur dissoluens non in primis qualitatibus residens, sed familiaritate & similitudine soluendi δύναμιν adeptum singularem. Nam quædam vim resoluendi tartarum huius, alia alterius generis & naturæ, vt pro diuerso tartarorum & salium genere dissoluentium remedi-

orum variẽt genera. Gummi Arabicũ tragacanthi, cerasorum prunorum aqua soluuntur, quod aquea participẽt natura. Nunquam mastyx, thus, lacca in aqua dissoluentur, sed quia sunt de natura sulphurea, ideo oleis facilius liquescunt. Ita gummi salis participia, vt am̃oniacum Sagapenum, galbanum, cum spiritibus salis, cum acetoso spiritu in ipso aceti vino contento dissoluuntur. Verum enimvero quamquã similia & familiaria remedia, isthæc chymicorum, & propterea similia similibus curari prætendant, recepta dogmaticorum maxima iis neutiquã conuelli dixerim. Sunt Rheub. scammonium bili expurgandæ & febri inde nata similia, & chymicorum remedia huiuscemodi, saluum nihilominus axioma medicorum præsistit? quod aliquando cõtrarium aliquid sit per se, quãdoq; per accidens: vt scammoneã bilẽ educẽdo per accidens refrigerat: chymici tartareos morbos tartareis remediis curando similibus curasse q-
dem

dem dicuntur: at nihilominus & per contraria medicati, quod obstructiones expediendo tollendoq; sanitatẽ, caussis obstructionis eductis, restituissent. vt curatio p contraria fieri queat, nõ respiciendo morbũ semper, sed & caussas. Ita calidis amouendo obstructiones febrim amouemus, semper ꝑ subiectis contrariis habentes sanitatẽ & morbũ: morboq; obstituri cõtrariis curando, atq; etiã eiusdem contrario modo acceptis. Contraria enim multipliciter accipiuntur. Alia simpliciter dicuntur contraria vt calidum frigido: alia priuatiue vt plenum inane: continuum, solidum: integrũ & corruptũ: Alia etiã per se sunt morbo contraria, alia vero per accidens, p se morbo opponuntur, vt frigido calidum exagitationis sedans & repellens, exsuperãtiæ euacuãs, tenuitati incrassans, duritiei emolliẽs, lentori detergẽs, acrimoniæ illinens glutinosum: laxitati roborans, corruptioni alexiteria, putredini concoquẽs, suppurãs & expurgãs asperitati

leuigans, anguſtiam dilatans, denſitati rarifaciens, occluſioni aperiens, continuæ ſolutioni agglutinans Sarcoticũ epuloticum. Alia actu ſunt contraria, alia potentia: aut poteſtate & actu. Paucis contrarietas explicatur, videlicet eius quod exſuperat ablatione, & eius, quod deficiens eſt, adiectione: vt recte alibi ab Hipp. dictum ſit, medicinam nihil aliud eſſe, quam abiectionem, detractionem deficientium & redundantium: cum vero & redundant & deficiunt quædam in quantitate, quædam in qualitate, ſecundum vtrumque priuatæ curationes per cõtraria exſiſtunt. Totꝰ contrarietati ſatis faciunt chymiatri, ſimilibus licet curantes: quod ſpecifica & ſimilia remedia adminiſtrando, vel morbum, vel cauſſam tollunt, ſicque contrariis curaſſe habetur, neceſſum eſt. Quin imo chymici dum ſimilia ſimilibus curari aut ſimilia potius quærenda remedia aſſerunt, Galeni Methodum & Hippocr. τῆς ὑπεναντιώσιος confirmant potius,

potius, quam vt oppugnent. Si enim indicans & indicatum homogenea ſunt: ſimilia iure aucupamur remedia: quod vni contrario, vnica ſola ſit contrarietas genere conueniens. Ideoque Gal. indicantium diuiſionem fieri in eodem genere docet, nullo vnquam tranſitu de morbis in cauſſis commiſſo: ſed a generaliſſimis ad ſubalternas, & ab iis ad ſpecificas perueniendo indicationes. Hæc diuiſionis indicantiũ conditio non vno loco a Galeno propoſita multoties ab Ariſtot. confirmatur, 2. enim poſt. text. 19. docet, quidquid inueniri non poſſe, niſi facta diuiſione in eodem genere. Si igitur naturam, & quod quid eſt indicantis, pernoſcere voluerimus, opus erit eandem præceptionem ſeruare. Nunquam n. remedium inuenire poterimus, niſi ꝙ quid eſt indicantis præcognoſcamus: in eodem genere indicans & indicatum, quod eius contrarium inuenitur, & merito indicantis percipitur indicatum. Quare ſi fiet tranſitus de genere

in genus, neque indicans, neque indicatum inuenietur: illud qua tale non eſt niſi in vno genere: non indicatum: quia contrarium vnius generis nunquam poteſt eſſe contrarium alterius. Quare chymicatros orgaſmum fixando, redundantiam euacuando, dura emolliendo, acria obtundendo, lenta abſtergendo, viſcida incidendo, &c. medicatus ſiue per ſimilia corroborata natura ipſamet ſanet, ſiue eius miniſter per genere conuenientia remedia, ideoque ſimilia, ſiue contraria, lege τῆς ὑπεναντιώσεως ſuo defunctus officio cenſebitur, a ſale volatili morbus natus curandus chymiatris ſale fixo: ſic & ſulphurei & mercuriales tum tartarei morbi medicandi: ſale medicinali ſali morbifico quidem ſimili & genere conſentienti, membro inprimis moleſtato: interim tamen ſpecie diſſentienti, hoſti & inimico ea aduerſitate affecto, vt hac effectum præter naturam tollere poſſit.

QVÆSTIO LIII.

An aurum potabile fieri queat, & num hoc vsus alicuius ad vitæ humanæ conseruationem prorogationemq́?

QVi aurum negant potabile reddi, chymicorum quorundam nitũtur teſtimonio refragante: tum præparationis difficultate. Multas n. requirere coctiones, quibus humidum auri primogenium prorſus exſorbeatur, & corpus eius in atrophiam ſicciſſimam calcemq; aridiſſimam redigatur, quod auro foliato non contingat. Sed reſpondetur. Nullum chymicorũ vere talium negari poſſe, potabile aurum, quod ipſimet modos per menſtruam peculiare eliciendi eſſentiam auri, docuerint. *Si nequit ſolui, quid attinet præceptum ſoluendi auri ſtatuiſſe. ſiq́ alia metalla ſoluuntur etiã aurum ſolutioni erit propoſitum. At prius vero verius. Ergo & poſterius.* Difficultas præparationis ſeu ſolutionis affirmat potius q̃ negat

potulentum aurum. Illa enim πάθ@ auri ſoluendi demonſtratur, ſiue facultate ſiue difficultate illud prorumpat. Ratio difficultatis ex craſis perfectione & mixtionis firmitudine, tum artificis induſtria minus exquiſita dependet. Exorberi autem omne humidum primigenium virtuteq; ſic omni orbari aurum, imperitiam chymiæ ſapit. Calcem enim reductilem eſſe in ſuum humidum vitrarii, nedum artifices norunt, ad oculos demonſtrantes calcis auri fluxibilitatem & potum eſſentialem. Vſui eſſe conſeruandæ & protrahendæ vitæ, ipſimet miſochymici atteſtantur, ægros analeptico refocillaturi bracteloatum aurum rude & concoctioni refractorium indentes. Si itaque crudum aurum & calori natiuo inuincibile analepticum eſt, multo magis potulentum aurum erit, ſua compage exſutum & naturæ humanæ iam euincibile, adque ἐνέργειαν nectaris viuifici corroborandi idoneũ euocatum. Electuariis & confectionibus

bus cordialibus deme aurum, tanto-
pere priſcis medicis expetitum, vt ba-
ſin cardiacæ confectionis ex eo con-
ſtituerint, quamquam aurum ignis &
ventriculi calore maneat illibatum,
*Ariſtot.3.meteor.capit.vltimo, Plinius
lib.33.cap.3.* Nam id ex defæcatiſſimis
ſulphuris & hydrargyri partibus cum
indiſſolubili mixturæ & temperamen-
ti nexu per calorem æthereum in ter-
ræ viſceribus ſit concretum, vt nec æ-
rugo vel ignis edax quippiam de eius
ſubſtantia adimere poſſit, vt quo ſæpi-
us arſit, tanto plus perfectionis illi ac-
cedit, & ſic expurgatum aurum obri-
zum appellatur. Nec ab eo quidpiam
difflatur, nec pondus ei decreſcit, niſi
gallinacei oſſa in id liquefactum con-
iecta fecerint & partem abſorpſerint,
Plinius lib.29.cap.4. At nihilominus
fruſtula intra membranulas pergame-
ni virginei poſita frequenti lati malle-
oli, ictu in bracteas foliis tenuiores len-
teſcentes & cuſæ exhibentur a medi-
cis. Si ſic vſui cordi multo magis potu-

lentum effectum aurum, obstaculis iis sublatis, quæ seruata tamen auri integra natura ante calori nostra contumacia erant & impedimento, quo minus actuari a calore nostro potuerit & saluberrimum analepticum atq; cordiale reddi. Andi, Marsitium Ficinũ, aurum, dicit, omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatissimum & a corruptione tutissimum, soli quidem propter splendorem, Ioui vero propter temperaturam consecratum, ideoque posse calorem naturalem cum humore mirifice temperare, humoresq; a corruptione seruare, solarem & Iouialem spiritibus & membris inferre virtutem. Et paulo post optimum fore putant, si absq; aliena permixtione aurum potabile fiat: Sin minus possit, contusum & in folia redactum accipi volunt. Vt autem vno ratiocinio nugas desiiciam tuas, aurũ potabile auro foliato ibi vsitato esse postponendum: *Id quod calori natiuo euincenti & in actum producenti est habile,*

commo-

commodius & præstantius remedium est, refractario & contumacissimo imo inuincibili. Aurum potabile eiusmodi est, & a calore natiuo in ἐνέργειαν nobilitatis suæ salubris educendum vincendumq́ue. Ergo. Assumtum probatur, quia caussa resistentiæ & incorruptibilitatis auro hactenus inexsistentis, firmitas compagis & cohæsionis artificio est sublata, factumque ex solido compacto, fluxile, tenue, spirituale, quod dicto citius corpus vniuersum permeare valet bracteis aureis in hypogastrii imo stabulantibus & sine omni passione cum excrementis eiectis.

QVÆSTIO LIV.

An metalla tota homogenea & constent partibus omnibus eiusdem nominis & rationis?

Aduersarii annuunt: ideoq; separationē nihil esse autumant, & destrui potius rem naturalem quam ea excoli. Verum enimuero cum quædam homogenea sint ad sensum, quædam non & ratione dumtaxat, alia

neutro modo: metalla ad ſenſum homogenea eſſe, largiri poteſt, ratione non item. Quamquam immineris terrę etiã ad ſenſum heterogenea adeo ſint, vt ſeparatoria arte ſit opus, qua aurum a metallis, & hęc etiam a ſe mutuo diſcernuntur ſegreganturq́;: quã vulgus artificum, quos auri ſeparatores dicimus, callet particula quædam & rudimenta magnæ ſpagyriæ. Adiũcta ſunt etiam metallis reiectanea ſenſu homogenea, foris tamen adhærentia, quæ προσκείμενα voces, non naturali miſtione concreta, ſed fortuito aut externam ob cauſſam vel obiter annata, ſeiungenda tamen conglutinataq; diuellendaque artificio ſeparationis facili. Aurum, reliquis impurioribus miſtis, adeo homogoneum habetur, vt ſeparationem exigat φθειρομένων τινῶν, idque per cementum aut antimoniũ impuritatibus pertinacibus ab auro ſegregatis. Si auro ad ſenſum homogeneo heterogeneæ partes ad ſenſum acriorem tales, quid de reliquis impuriſſimis

rissimis iudicii? Omne mixtum & natura & arte in heterogenea abiit διακρίσει ἢ ἐκκρίσει, siue iam elementa Physicorum, siue Chymicorum agnoscas, ex quibus mixta conflantur. Constat ergo & heterogeneis ad homogeneam quidem sensui mistibilium alteratorum vnione adductis, vnde concors discordia emergit & φιλέχθρα. Artificiosa separatione omne metallum & minerale in distinctas heterogeneas partes sponte concedunt, mercuriales sulphureas & salsas, tum alias heterogeneas fæces. Quomodo ergo homogenea metalla?

QVÆSTIO LV.

An omnis ignis naturalis, nullus artificialis?

VVlgaris & naturalis ignis per se nihil generat, cum sit feruoris excessus, neque etiam talis qualitas, sed quidam ignis insitus natura, quem ars ex suo subiecto in actum primum eduxit & gradu excellentissimo exaltauit,

vt agendo in materiam dispositam, superet longe naturæ vim, in mineris terræ, faciatque ex hydrargyro aurum vel argentum quod natura tota numquam posset. Ars hic naturam iuuat, & naturali vtitur instrumento, opus ergo inde resultans vtrique potest adscribi. Et ignis naturalis artificiosus dici, quia principium motus & gubernatio eius est ab arte, vsque ad perfectionem, quæ non fieret, si ars absцederet. *Omne cuius principium motus & progressus ab arte pendet, artificiale definiri potest. Ignis naturalis instrumenti regimen est ab arte. Quidni ergo artificialis?* Assumtum cõfirmatur pyronomia chymicorum. Ignis sponte omnia depascitur, nullius rei γεννητικὸν sed φθαρτικὸν potius artis præscripto gubernatus fit γεννητικὸν cohibita naturali sua violentia destruente: artificiale ergo. Nam *quidquid artis præceptionibus regitur νομικὸν exsistens, illud artificiale sit necesse est. Ignis artis chymicæ præceptis est propositus & νομικὸς tenetur.* Ergo.

Si

si naturalis ignis, eo naturalis habetur, quod motus sui principium internum profiteatur: cur non contra artificiale id iudicetur, quod externum profitetur motus moderatorem industrium? nisi contrariorum contrariam neges definitionem esse. Vt itaque & naturalis & artificialis ignis esse possit, diuersimode affectus & propterea diuersimode considerandus.

QVÆSTIO LVI.

An oleum vel spiritus vitrioli quia erodens ex agro Asclepiadeo exterminanda.

ALchymiæ elusores, hacq; factorũ affabre medicamẽtorũ ludificatores nihil intemeratũ atq; arrosum in arte diuina sinũt. Oleũ vitrioli rodant, quod erodat vicissim & non se solũ sed etiã muta durissima metallica aliis inuicta. Sed neganda par eius vbiq; actio. Exedat metalla & durissima emortua cũcta, nõ idẽ effectũ in corpore humano ab eo cõsequetur. Rite n. factũ vix

ventriculum pertingit, vt non exſpiret ſubtiliſſimum. Nec ad ventriculum delatum mortuum offendet, ſed humiditatibus onuſtum, has exedet prius quam ſubſtantiam viuentis attingat. Accedit, nunquam id purum & ſolum exhiberi, quod non cum conuenientibus ſit admixtum. Vnium ſublimatum, acetum nobis cotidianũ, mellis ſpiritus ſuccus, citrii & limonũ tam exedunt metallica, quam oleum vel ſpiritus vitrioli: an propterea exſuſabunt, ob erodendi ſuam facultatem? Cur tibi acetum cotidianum, q; ſtannum momento citius arrodit? quod in ſtannum & externa demortua agit, idemne in corpore humano acturum putas? Ne reris: dudum enim ventriculus tuus eroſus atque exeſus foret. Quid de cantharidibus, erodendi veneno omne ventriculum, omne ſulphur, ſuperantibus, vt a Gal. *3. de ſimpl. facul.* inter deleteria cenſeantur: & tamen tum a veteribus tum neotericis ad vrinam ciendam, penis ἀτονίαν & ve-

neris

neris languorem ſuſcitandum large & multis innoxie propinantur? Sunt & acidulæ de vitriolatis mineralibus ferreiſque, & tamen ad earum vſum confugitur, re omni deſperata, idque cum ſalute bibentium. Quid de humorib. excrementitiis corporis humani, bile flaua, atra, pituita, acida ad tantam aciditatem acrimoniamque ſponte ſua perductis, vt in terram effuſa, eam fermentent, in bullaſque attollant, obuiaque quæque erodant, corporis partibus talium nihil patientibus, nec præter naturam inde affectis, diutiſſime licet ſæpe in corpore ſtabulentur.

QVÆSTIO LVII.

An lapidis confectio ſit penes naturam.

CErto affirmari nequit, lapidē Philoſophi: naturam non poſſe conficere. Nam penes naturam eſt potentia. Cur non adminiculis artis in actū veniat? Cur non iſtud ſeminariū principium ſub terra pullulet, atque etiam

transmutationes æris, hydrargyri peragat: Artifex enim non potest suæ materiæ dare dispositionem eam, qua pficiat transmutetque metalla: sed eius opus totum in coctione & digestione assidua vim a natura insitam promouere. Richardus inquit, *natura metalla generat, non tincturas: quamuis occulto in se contineat plenam. Omnis species est in sua specie, genus in suo genere. Omnis natura in sua natura, naturaliter virtutis affectat augmentum & fructum adfert iuxta naturam suam. Omne seminarium respondet suo semini. Simile generatur a simili.* Ex his apparet, chymicum auri argentique quærere procreationem subsidio artis. Id non potest præstare absque lapide. Vnde nam iste? Aut ab arte is est, aut a natura. Natura negatur eũ explicite dedisse sed implicite, habere per artem Spagyricam explicandum. At cum natura eum implicite habet, necesse est, vt in aliquo naturali corpore comprehenderit. Id quod nam est? eadem natura & species, cuius

ius est seminatum seu ex semine factũ. Hoc certe non imperfectum volunt esse, sed perfectissimum. Necesse itaque & semen esse perfectissimum, in absolutissimis metallis auro argentoque inueniendum: A natura itaq; lapis Philosophicus.

QVÆSTIO LIIX.

An in imperfectis metallis vel in mineralibus quærendus lapis Philosophicus?

Impostorum est fumiuendulorũ lapidem in imperfectis scrutari imperitissime. Si enim naturam lapidis Philosophici obtinerẽt interno suo principio, pueherentur tandẽ ad perfectionẽ vltimã, & imperfectionis notã excuserent. At manent imperfecta ob naturæ suæ imbecillitatem vel etiam externas remoras, nec nisi arte, vel etiam natura tandem obstaculis remotis ad perfectionis vltimum perueniunt. Atqui artis per se neutiquam est imperfecto afflare perfectionem solius

& potentiam ad finem vltimum impeditam, etiã ſublatis obſtaculis, per ducere. Ideo namque imperfecta habentur, quod cauſſas eſſentiales imperfectas obtineant. At lapis neceſſe eſt, vt ſit abſolutiſſimus: vt fiat talis, nõ niſi ex huiuſmodi perfectiſſimis fabricari poterit. fieri enim nequit vt id, ꝙ non habet, alteri præbeat: & licet natura temporis tractu imperfectorum quædam perficiat: artificis tamen id non erit, vtpote cui perficiendi materia Philoſophica deſit, beneficio cuius imperfectione abiecta ad perfectionẽ perducere queat: imperfectis ineſt q̃dem ſeminaria virtus, ſed adeo imperfecta vt potentiæ eius in actum reductionis ab arte ſpes nulla habeatur. Quin & natura ex non ente ens facit, at neutiquam ars idipſum præſtabit, negata natura. In imperfectis a non ente quidem iſtic fit ad ens, merum tamen imperfectum δυνάμει remorante, quam arte nunquam actuabis, vt lapidem inde efformes. Hæc enim diſpo-
ſitiones

ſitiones ignorat principiorũ, nec naturas ingenerat. Vnde Rogerius. *Si eligeremus ſulphur & argentum viuum, ſicut eſt quodlibet, oportet nos miſcere ſecundũ debitam proportionem, quam homo ignorat.* Si itaque inueniamus corpora, in quibus hæc dudum a natura ſecundũ debitam analogiam & proportionem ſunt miſta, ideo melius ex his ſumuntur. Ad huius enim confectionem ſemen prolificum requiritur, perficiendi potentia abundantiſſime inſtructũ, & hoc nullibi niſi in fructu perfecto & tali indagandum. Quid enim a puero prolifici ſperantis obuio proletario viro. Sicut nec ſemen pomi ex virgulto petitur, ſed ex perfectæ arboris fructu. Vt hic minimo labore ſeminariũ confert fœcundiſſimum, ita ab illo non niſi vitioſum vel nullum promanabit imperfectiore ſcilicet, quam vt potentia tractu temporis perficienda actuetur protinus. Vt vanum ſit ſeminariam lapidis virtutem inueſtigari in imperfectis, perfectiſſimis obuiis perfectiſſ.

virtute dotatis, e quibus tam facile erit arte elicere materiam Philoſophorum, quam difficile ex imperfectis eãdem adhuc operoſe abſoluendam eruere. Rogerius de perfectis ſcribit, *aurum eſſe perfectum maſculinum, argentum perfectum fœmininum, nec poſſe elyxis, quia in ſe ſunt tantum perfecta nec poſſunt alia perficere: ſin autem per artem fiunt plus quam perfecta in duplo, quadruplo, centuplo vel vltra, tunc poſſe perficere imperfecta.* Ecce quantum adſcribatur pfectis. Si perfecta aurum & argentum materiam lapidis Philoſoph. ſubminiſtrare nequeunt, niſi perfectiora euadant, quid de imperfectis hariolandũ. Si item perfectis ſubeſt materia lapidis, cur in imperfectis maximo ſumtu & ſummo labore in caſſum tamen illa eadem inueſtiganda.

QVÆSTIO LIX.

An aurum argentumq́ ſit aurum Philoſophorum materiamq́ lapidi ſubminiſtret?

NVnquam artifices perfectiſſima

recipi-

recipienda negant ad lapidis confectionem: argumentis tamen constat firmissimis, nullibi, nisi in iis indagatio eius instituenda, veritatem lapidis verbis obscuris occultantibus. Aurum & argentum natiuum non quidem sunt aurum & argentum Philosophorum. Dum enim sunt in natura sua, nondũ sunt artis; sed cum per artem reducta sunt ad materiam primam Philosoph. & forma natiua perdita, artis formam habent, iam sunt materia Philosophorum. Richardus iubet serere aurum & argentum, vt afferant fructum cum labore tuo & mediante natura, quia ipsam habet & est illud, quod quæris: Item elicitur non sine solutione corporis, & reductione in materiam primam, quæ est mercurius, ex quo facta sunt metalla ab initio, & medicina est simplicis & mineralis naturæ ꝓducta ex aqua mercuriali, in qua aurũ & argentũ prius sunt soluta. Cõtradicentiũ quidam vtuntur hoc ratiocinio: aurũ etiam aucto igni non potest destrui

Materia chymicorum eſt deſtruenda corrumpendaque. Ergo *non eſt aurum.* Atqui propoſitio ineptitudinis eſt damnanda. Non enim igni elementari deſtruendum aurum eſt, ſed via Philoſophica. Hinc Roſarius M. *aqua noſtra fortior eſt igne, quia facit de corpore auri merum ſpiritum, quod ignis facere non poteſt.* Aurum quidem antequam deſtruatur quodam modo chymico, nõ dicitur materia Philoſophica neq; ſolum. Sed cum iam in mercurium eſt redactum, additis etiam ceteris eiuſdẽ radicis. Vt materia propria non deſtruatur nec corrumpatur, ſed exaltetur digerendo. Pergunt. *Si eſſet aurum argentumque Philoſophorum vel materia Philoſophici lapidis, non vilis res vbiuis obuia diceretur.* Reſp. vilis habetur cõparatione cum immenſo bono lapidis, tum Philoſophorum ænigmatibus & tropis, cum appellatur elementorũ vocabulis, item ouum, ſemen, vrina, acetum, non ideo erit lotium. In Roſario Philoſoph. vilis dicitur etiam *ob cla-*

uem qua septem portæ metallicæ aperiuntur, item vilissimus est per putrefactionem. Quando fuit putrefactum, tunc dixerunt, *lapis noster est vilis & in sterquilinio reperitur. Cũ fuit in aquam conuersus, habent eum diuites & pauperes &c.* instant; *ex lapide in natura inuento, superfluum est remouendum. In auro puro nihil est superflui.* Ergo *aurum purum non est materia lapidis* Sed respondetur, oculis mercatorum in auro nihil esse superflui & nõ in oculis artis chymicæ. Hic enim multa sunt superflua, potissimum tamen dispositiones externæ & vultus vulgatus qui est delendus. Adhærent nonnunquam impuritates etiã stibio & sale tartari tollendæ. In Rosar. *vas fixum volatile: frange corpus: solue coagula &c.* lapis Philosoph. creatus inuenitur in natura, & per Deum altissimum nullo amplius indiget, quam vt remoueatur superfluum. Præclare quidam: nisi aurum & argentum viderem, profecto dicerem alchymiam non esse veram artem. *Rumpe domum, frange pa-*

rietem, extrahe ſuccum inde puriſſimum vt ederepoſſis &c. Omnes Philoſophi dicunt, metalla nihil aliud eſſe, quan mercurium gradatim decoctione diuturna per ſulphur coagulatum. Metalla tamen nondum ſunt noſter lapis, quia manent in ſua forma metallica. Roſar. maius, *aurum eſt totum Mercurius*: & Philoſophi dixerunt, *ſolem nihil aliud eſſe, quam maturum aurum argentum viuum*. Paracelſus etiam *in 3 de morbo metall. tract. 2. cap. 1. argentum viuum eſt domus aperta: aurum, argentum, plumbum &c. eſt domus clauſa.*

QVÆSTIO LX.

An lapis Philoſophorum ex elementis? Affirmatur.

SI lapis Philoſophor. ex elementatis, conſectarium erit ex elementis conſtare eundem, infallibile. Quod enim eſt cauſſa cauſſæ, eſt etiam cauſſa cauſſati. Nullus eſt, qui non ex mineris

mineris terræ materiam lapidis eruat ſolicite. Hæ non niſi ex elementis conflata gremio complectuntur ſuo. Cur ergo materiam lapidis ſiue mineralem aliis, ſiue metallicam orbabis concretione elementari? accedit lapidis Philoſophici eſſe, non modo imperfecta metalla perficere & tranſmutare in aurum, ſed & omnibus mederi morbis. Hæc autem elementis participant cuncta, quomodo ergo elementatorum medicina erit elementorum expers? Quomodo alchymiſtarum maxima ſtabit, *ſimilia ſimilibus curari?* Quomodo colorum omnium erit particeps? ſiquidem hi elementis conflatorum adiuncta ſunt. In Roſario maior. Arnold. dixerunt aliqui, quod *in opere lapidis appareant omnes colores qui in toto mundo excogitari poſſunt, cum tamen non appareant, niſi quatuor principales.* Et quia omnes alii trahunt originem, ideo dixerunt omnes colores. Et ſi tibi

non apparent omnes colores, non cures dummodo poſſis elementa ſeparare. Nam citrinitas choleram ſignificat aduſtam, & ignem rubedo ſanguinem & aerem, albedo phlegma & aquam, nigredo melancholiam & terram.

QVÆSTIO LXI.

An lapis Philoſophorum ex metallis?

ATteſtatur id Roſarius inquiens: *lapis, quem Philoſophi quærunt*, inquit, *in quo ſunt elementa prima mineralium, tinctura & calx anima & ſpiritus cum corpore, fixum & volatile eſt mercurius, ſcilicet non quilibet, verum ille, circa quem natura ſuas primas operationes determinauit ad naturam metallicam, & imperfectum reliquit. Mercurius noſter non eſt natus, vt multi putant, ſed de corpore extractus: lapis Philoſophicus creatus inuenitur a natura, & per Deum altiſſimū nullo amplius indiget, niſi, vt remoueatur, quod eſt in eo ſuperfluum.* Ergo *ipſa præparetur materia, vt ex eo eliciatur quod eſt purum, terreum*

reum autem & fæculentum remoueatur. Atteſtantur teſtimonio Roſar. etiam hæc argumenta. *Si lapis Philoſophicus metamorphoſeos &* τῆς χρυσοποιήσεως *eſt auctor, ex ſimili conſtet neceſſe eſt ſimile producturus; ſi verum axioma, ſimile procreare ſimile.* At *prius verum.* Ergo. Hinc Roſarium in tota praxi nihil alieni, quod non ſit naturæ eiuſdem, eſt inferendum, & fermentum eſt eiuſdẽ radicis, cuius eſt maſſa. Accedit, naturam eſſe imitandam artifici: natura autem tum vniuerſalis in generatione ſimilis ex ſimili, tum particularis in auri & argenti confectione per ſemen auri & argenti. Negant inſuper omnes, ab artifice poſſe dari diſpoſitionem ad auri ſemen, ſed neceſſarium eſſe, vt id iam per naturam ſit effectum, arte nihil conferente præter concoctionem ad perfectionem debitam. Qui ſimilitudinem materiæ lapidis per omnia & in omnibus illi materiæ qua natura vtitur in cauernis terræ, vrgent, negantes metalla in primam materiam redu-

cenda, quod nam ex metallis non faciat metalla, proficiunt nihil. Quamquam enim ex metallis non faciat metalla (quod tamen cupri in aurum, plumbi in argentum transmutatio naturalis crebra coarguit) ex metallica tamen materiam facit, vt Chymicus. Arnoldus lib. 1. cap. 5. *præparanda sunt duo, aurum & argentum subtiliter, vt sulphur & argentum viuum, de illa materia habeamus super terram, de qua aurum & argentum fiebant sub terra. Natura in mineris terræ aurum & argentum factura indiget semine auri argentiue, non coagulato, sed solubili & coagulabili: tale & ars requirit naturæ imitatrix, si materiam per omnia & in omnibus illi naturali seligere oportet. Ars autem aliunde id accipere nequit, quam ex corpore perfecto ad imperfectionem reducto. Respondet ergo natura arti ad plenum.* Rosar. maior. *mercurius Philosophorum est ille, quem natura paululum est operata, & in metallicam formam formauit, sed imperfectum reliquit: si metallicam, formam habet in*

bet in

bet in natura & artifex hanc destruere debet, tanquam suo operi inutilem, quid aliud facere oportet eum, quam reducere in primam materiam. Qui auri destructionem ignorat, necessario ignorat eius constructionem. Aurum est totum mercurius, quod patet ex pondere & mercurii facili combinatione. Ergo *in ipso est totalis & radicalis Philosophorum intentio & voluntas.*

QVÆSTIO LXII.

An ignis beneficio mercurius Philosophorum extrahatur.

NEgant Philosophi igni tactam esse materiam suam. At multi sunt ignes Philosophorum, & inter ceteros etiam aqua ipsorum ignis vocatur. Per hanc si extrahatur igni dicitur extractus, & tamen igni non vulgari sed Philosophico.

QVÆSTIO LXIII.

An lapis Philosophorum ex diuersis constet?

ANte coniunctionem cernuntur tria, vt, *aurum argẽtum, Mercurius.* In coniunctione nihil est præter vnū: quia vniformis omnium natura est aquea seu mercurialis, & hæc etiam est circulus: in coctione emergunt plura ratione distincta, & duæ substantię separabiles. Calidum duo tantum agnoscit, in principio medio & fine; Paracelsus ait, *ex tribus debere fieri & manere vnum.* Auctor manualis ponit rem naturalem, in qua vnum, duo, tria mystice, tanquam in arca conclusa iacent: tinctura Physicorum ex vnitate per dualitatem in trinitatem procedit. Ioh. de Londinos etiam celebrat quaternarium & ex circulo alii faciũt quadratum, hocque iterum ad circulum redigunt: interdum septenarius numerus lapidi adscribitur ob numerum metallorum, quæ non actu insunt, sed in pro-

in progreſſu operis per diſtinctiones quaſdam deſignantur, tum coloribus, tum aliis. Inſunt & infinita, iuxta tropos & ænigmata ſeu ſimilitudines rerum & colores.

QVÆSTIO LXIV.

An in opere lapidis Philoſophici omnes colores conſpiciantur?

PLerique omnes colores lapidis effectione, qui hodie in Mundo ſunt ac excogitari poſſunt, apparere aſſerunt, ſed id ſophiſticum eſſe & tropicū artifices norunt. Tres ſunt colores, *albus, niger & rubeus*, cui interdum adiūgitur *citrinus*, ſicut *cinereus* albo affinis, & *plumbeus* nigro ſuo apparet ordine. Nominatur & cæruleus ſeu cæleſtis in hydrargyri apparatu, & viridis in leone viridi: ſed tropica locutio eſt vtrobique. Ideo vero *infiniti* nominantur, inquit ille, quia ex iſtis principabilibus ceteri fiunt omnes & inſunt poteſtate. Ita cum conſpicitur cauda pauonis, in fermentatione ſcilicet, quanquam

colores ſunt finiti, tamen infiniti appellantur, quod numerari nequeant & ſubinde alter in alterum mutetur. Non autem ſunt durabiles: tale quid videmus etiam in ſublimatione hydrargyri cum ſulphure & ſale, vt fiat cinabaris, item in auro vitę & ſimilibus.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS
REMEDIORVM SPAGYRICORVM,
HACTENVS

In vsum communem, inque salutem generis humani commode ductorum,

a

MARTINO RVLANDO,

Med. & Philosoph.

sed a

MALEVOLIS NVGIGERVLIS

Veneni accusatorum malitiose.

I.

Extractum hydragogum.

℞ *Rad. cucumer. asini.*
cucumer.
Ireos purpur.
Herbar. absinthii Pontic.
Soldanellæ Alp.
Eupatorii, ana ℥ *3.*

Digerantur, & eliciatur quodlibet suo peculiari menstruo lege spagyrica: Extractis debite

Add. *Extracti Rheubarb.*
mechoacæ, ana ℥ 2.
Essentiæ Esulæ,
magisterii tartari, ana ℥ 1.
Essentiæ Specier. aromat. ros.
diarrhodon, Abbatis
diacurcuma, ana ℥ 6.
Coq. s. a. Spag. Extractum
essentiale.

NOTÆ.

Liuore suffusi male feriati hoc insimulant veneni: Galenicæ & Hippoc. medicinæ addicti esse volentes scilicet. Quo argumento? Hoc: quia ipsi dicunt, & istis conuitiatoribus, tanquã prætoria potestate edicentibus est habenda fides. Ehem: macti viri sistite gressum. Ego nec potestatem vestram prætoriam qua nisi, bonis & bene de Repub. merituris conuitiari diadictice conamini, moror; nec inde effutita

edicta,

edicta, quæ ſputa duntaxat ſunt venenata populi pedibus conculcanda o-uantis. Publice & in cœtu literatorum totius mundi ius veſtrum, ſi quod eſt, dicite. Vos prouoco, calumniatores inertes, ſtolidi, elumbes. Præſtate vos viros, ſi viri, ſi docti haberi vultis, non Marte, niſi militares medicaſtri eſſe velitis, ſed arte, qua titulos veſtros, quibus tantopere ſuperbientes, alios æque decoratos alto ſupercilio contemnitis, oſtendite iure ea cũ auctoribus eſſe proſcribenda, quæ omni exhibita rite ꝓficua exſtitere ſalutariter: venena eſſe talia, quæ, vobis inepte & ſtulte medicantibus fuere pluribus ſaluti. Ne autem ſtultis ſtulte reſpondeamus & cum dementatis & calumniantibus dementes geſtatoreſq; viciſſim habeamur, arte cum iſtis nugatoribus & phariſæis agemus, hoc ratiocinio vſi. Si hoc medicamentum venenatũ eſt, aut per ſe & ratione ingredientium erit, aut præparationis ſeu laboris Spagyrici, aut vos mentimini. Non primũ:

omnia n. quæ hydragogo nostro sunt inserta, dispensatoriis inserta atq; præscripta mandantur & a vobis quotidie vsurpantur. Ergo. Non alterum. Chymico enim nullum aliud instrumentum quam ignis, beneficio cuius suorũ pleraque fabricatur. Ignem veneni accusare stulti est. Omnia decocta vi ignis fiũt & serapia & Aquæ distillatæ, non tamẽ venenata vobis. Vobis tantam vim ignis non esse ad excoquẽda serapia & decocta, obgannitis; ædepol nec vestram chymici ignis vim naturã destruentis iure petiuerint vnquã. Omnis ignis calor artifici chymico esse debet rei elaborandæ & ad perfectionem reducendæ analogos, qui calorẽ B. M. raro excedit. Vester non est talis. Sed vobis non est curæ, quo modo quodlibet paratur, modo scribatis Recipe & deuoranda patienti stercora & venena præbeatis, magnatum interim estis medici scl. diabolo medicaturi stercoribus vestris. Ex labore ergo & principio externo nihil veneni. I-

gnis

gnis enim vel calor eius nomicus expers omnis veneni omnia inde excocta & cocta euidenter demonstrãt, adeo vt ignẽ veneni accusaturus, veneno enecandus sit & rostro tradendus. Loquor a. de igne artificiali non inartificiali & insita virtute sponteque agente, legibus nullis artificis refrenato. Exspatiemur in hortos calumniatorum nostrorũ lustraturi non vetularũ more, venenatorum simplicium formas accidentales, qua visa æque quodlibet imperfectum manet & inutile, (quamquam hoc potius hocce tempore habeatur; quam, si medicus non anile hoc solum, sed & intima & essentiales vires exploratas habuerit & recte simul) ac si Tiresias botanicorum examen subire vellet, & fors quoad intima exactius nostris calumniatoribus. Euictum iam est, spagyria nullum venenum posse nostris afflari medicamentis, quod calore artificiali ignis vsi, per se ignis gradus

naturalibus arte adhibitus nihil habeat virus: in medicamentis simplicibus itaque hærebit. Absinthium Ponticũ, Soldanell. Eupator. Rheub. Methoaca, species aromat. rof. diarrhodon diacurcumæ omnia, omnibus consentientibus saluberrima sunt & expertia omnis malignitatis. Hærebit itaque venenum in cucumer. laureda, iride, esula, tartaro. At cuncta hæc sunt medicinæ nostræ in vsu salubri. Quomodo ergo venena aut venenata? Quid quæso vos venenum? An catharticum? At hoc purgat corpus. Venenum toto genere nostræ naturæ est aduersum, hanc destruens. Catharticum eiusmodi non est. Ergo qua catharticum non venenatum. Confunditis genera rerum. Aliud equidem est purgare corpus, aliud destruere naturam & eidem esse aduersum. Aliud βοήθημα, aliud φάρμακον φθαρτικὸν aut deleterium, &c. Cucumeris asinini Mesuæ præceptori & pharmacopœo nostro, perfecti, ac præcipue ex eo succi laus est pręcipua, secunda

ſecunda radicis. Succus exeunte æſtate excipitur, radix fine veris colligitur. Eadem in medicamenta multum efficacia & celebria recipitur. Calidus & ſiccus ordine tertio ſubſtantia ignea & terrea vſta conſtat. Ne ora venarum aperiat & vlceret hic ſuccus & cū torminibus & anxia moleſtia vacuet: datur cum bdellio vel tragacantho vel lacte dulci recenter mulſo, aut mulſa vel ſale: promtius autem purgat cum pauco ſale gennæ & aromatibus. Idem, naxam autē ab eo corpori impreſſam delent aqua hordii, mulſa vinum, oleum. Elaterius ſuccus ex huius fructu quomodo trahatur, Dioſcor. docet, amarus extreme Gal. Tempeſtiuus eſt hic fructus, quando tactu ſolo ſuccum eiaculatur Dioſcor. autumno, Plin. tempore quo folia decidant, Manardus ex Dioſcor. Calidus ſecundo grad. Gal. Quibus iunctum elaterium nunc vomitum nunc deiectionem faciat docet Dioſcor. Paulus dicit vacuare vt ſcammonium tribus obolis tritū

cum lactis cotyla, bilem & pituitam trahit, & ægre ſpirantib. prodeſt. Dioſcorid. Iam noxam quam infert cucumer agreſtis, aut ſeruabit, aut deponet extractum noſtrum hidragog. Additis corrigentibus cedit noxa omnis; quamquam ea veneni inſtar furiat maiori doſi exhibita. At adiecta ſunt corrigentia & non ſolum a iecta & appoſita, ſed & ſpagyrico labore repetito ita tractatum elaterium, vt omnẽ prorſus exſuerit virus. Si vino, hydromeli aqua hordei eluitur noxa cucumeri aſinino vulgariter tractato, multo magis ſpagyrica digeſtione, ablutione, filtratione iteratis ea procul fugabitur. Sublata noxa & remanente cathartica virtute, quid veneni obiiciendum? Non omnis noxa venenata cuiuslibet. Noxium eſt humano corpori aliquid aut per ſe aut per accidens. Hoc noxium eſſe dici nequit ſimpliciter, nec artis correctione indigum. Illud καθά τι tale eſſe poteſt, & huic noxium alteri ſalutare poteſt

esse: quomodo ergo venenum? Insup noxa illa elaterio adiũcta aut essentialis est, aut accidentalis & aduentitia. Si essentialis & venenata noxa, cur in vsum medicis venit & βοήθημα tantũ habetur, nulla correctione emendabilis, nisi toto destructo. Destructo a. toto & veneno essentiali sublato, vis etiam cathartica euanuit omnis. Si hæsitat noxa in adiunctis, catharsin essentialibus possidentibus, leui arte tolli id poterit mali, salua substantia rei salutaris; sique segregatur spagyria, calumniatoribus, substantiæ tamen integræ inhærenti adhuc, corrigentibus saltem adpositis nondum agentibus adhuc, mendacissimorum erit eiusmodi medicamentum venenatum proclamare. Iris Dioscorid. Gal. Mesuæ innoxia habetur & nostris exhibetur eius succus hydropicis vtiliter. Esula fors punget virulentos calumniatores: at hæc medicorũ coryphæis fuit in vsu quotidiano. Malignam qualitatem & igneam, acremq; aceto deponere asserunt,

additis aſtringentibus, glutinantibus. Atqui, ſi venenoſitas conſiſtit in qualitate ignea, acri & erodenti, acetoſis emẽdabili, ſalua nihilominus catharſi hydragoga: nonne ſatius erit, iſtam qualitatem digeſtione debita, filtratione & ablutione auferre. Appoſita iſta aſtringentia & glutinantia tum reliqua vobis viſa corrigentia tantum abeſt correctionis auxilium præbere, vt multis exhibita enormiter obice abiecto purget. Partibus autem, in quib. maligna illa qualitas ſtabulatur, ad purgationem Eſulæ proprium nihil faciens, digeſtione & filtratione p menſtruum proprium ſegregatis, tutius longe & ſalubrius prodibit hidragogum, quam certe veſtra ruditer effi-cta medicamenta a venẽnoſitate nunquã abſoluenda. Retinent enim noxæ partes, quibus non ſimul acciſis ſecretiſque, vt quæ ad eſſentiam rei neutiq̃ pertinent, non poteſt non noxa malefica vna ſuperſtes eſſe, quantumcunq; labores, corrigentibus eam abolere.

Non

Non aboleri docet ὑπερκάθαρσις & effrenata purgandi libido etiam iusta dosi exhibiti.

II.

Diacydonium catharticum.

℞ *Extract. mechoaca*, ℥ 2.
diagrydii, ℥ 5.
Ol. macis
cinnamomi, ana gr. 6.
Succi rosar. Damascen.
cithoniorum, ana ℔ 5.
Sacchari fini, ℥ 5.
Coq. s. a. in formã diacython. pellucẽtis.

NOTÆ.

Nihil hoc remedii habet venenati, nisi diagrydium vobis sit tale. At vobis in vsu cotidiano diagrydium, non est electuar. non pilulæ, quæ non diagrydium nunc basis, nunc stimuli loco habeant. Vtcunque adhibeatur seu stimuli seu basis loco, venenatum erit, si venenatum. At correctum est, tragacanth. psyllii mucilaq; succo & aqua rosar. mastreh. carne cydonior. myro-

balanis &c. Quomodo ergo venenũ? Quid? Non modo veſtra arte vulgari emendata eſt ſcammonia & ideo diagrydium practicis dictum, ſed & inſup ſuo menſtruo appropriato ita paratũ, vt omnem noxam & virulentiam plane depoſuerit, tam clementer & tuto catharſin exercens ſuam, quam Mannæ vel ex benignioribus quodlibet. Dubitatis? Periculum facite. Sed canos pudet doceri, calumniari decet, ſenio proh dolor nõ niſi liuorem procreante ex adynamia fors pullulantẽ. Infund. diagrydium in Aq. roſar. vel cydoniorum digerend. dum colore menſtruum purpuraſcente inficiat, repetatur vſque dum id omni ſuo priuetur colore. Effectus adminiſtrati reſpondebit dictis.

III.

Extract. diacatholicon Rul.

℞. *Agarici albiſs.* ℥ 3.
rad. hellebori nigri correct. ℥ 4.
Diagrydii recte præp. ℥ iß
trochiſcor. alhandaal ℥ I.

Specier.

Specier. diarrhod. Abbatis
Rheubarb. elect. ana ℥ 2.

Omnia debite infund. ſuo cuique affuſo menſtruo, digeranturque & extrahantur: Agarico, rad. hellebori nigri, Rheubarb. ſpiritus vini maluatici ſuffundatur colore ſpecier. diarrhodon Abbatis perfuſi: trochiſcor. alhandaal vero hoc modo fiat ex tractio. ℞. *Trochiſcor. alhandaal. q. ſ. digerantur in B. M. in Aquis appropriatis*, ſi ſpiritus vini tibi eſt ſuſpectus, poſt aliquot dies filtrentur, repetatur digeſtio, & exacto digeſtionis tempore, filtratio: filtrata iungenda & in B. M. digerenda, dum appareat hypoſtaſis in fundo vaſis, aut fæcum a liquore puriore ſeparatio: liquor purus putus per inclinationem a fæcibus ſeparetur ac demum in B. M. tam diu digeratur, dum puriſſimus euadat rubini inſtar rubicundiſsim. & ſplendidiſſimus omnis nigrati amaroris & faſtidioſæ noxæ expers.

NOTÆ.

Radices hellebori nigri Hippocrati nostro frequẽtissimi vsus fuisse, monumenta eiusdem docent, tum effectã noxam omnem abesse etiam nobis vtentibus contestantur, etiam nullis corrigentibus additis. Nihil itaque venenati in se habebit, auctoribus grauissimis, & effectis experientia demonstratiua exploratis, confirmantib. Colocynthidi inerit. Quare non pilulis cochiar. electuar. &c. exigitur venenata? Correctam ingredi dixeritis. Correctio nulla exquisitior, quam quæ est in trochiscis alhandaal. Accedit altera correctio & spagyrica, qua digestione & filtratione id, quod nociuũ, omne excutitur abiiciturque, vt pro amaritudine virulenta referat saporem subamarum, gratum tamẽ dulcedine quadam delibatum. Nullum itaq; venenum & hoc habet remedii. Cur ergo venenatum calumniamini? Bonorum virorum non est calumniari: sed errata, si qua sunt ostendere productis

argu-

argumentis euidentibus, quibus pateat, veritatem ipsis potius curæ esse ꝓpugnãdam, quam proximum immerentem tam temere & nequiter conuitiis & probris omnibus proscindere. Sitis ergo calumniatores, mendaces, dum probetis id esse, quod venenato rictu passim temere euomitis. Telum vnicum vibretis licet: Adsto pharetram expediturus meam telis nondum vacuam suis.

IV.

Nepenthes Rul.

℞ *Specier. diambræ fidel. dispens.* ℥ 15.
Extract. opii Thebaidei, ℥ 1.
solutionis cornu ceruini, ʒ 10.

Cum spiritu pomorum citri arte Spag. extrahantur;

Add. *Essentiæ corallar.*
magisterii succini albi
cranii humani
margaritar. ana ʒ 1.
Essentiæ croci, ℈ 1.
Lapidis Bezoard. orient. ʒ 5.

Spiritus ambræ gryſ. ℈ I.
moſchi
Ol. cinnam.
caryophyllor.
citr. ana ℈ 5.
F. l. a. Extractum Eſſatum.

NOTÆ.

Quid hoc ſpiret veneni, ſane vidére non poſſum. Opium ſi venenatum eſt, probari velim, nō nude affirmari. Et ſi venenatum eiuſq; venenoſitas in theriaca, mithridatio, Philonio & reliquis opiatis infringi poteſt, vt innoxia & nō venenata haberi queant debeantq;; felicius in hac compoſitione Nepentheos longe venenum amoliri poterimus, non modo venenoſa qualitate contraria addita retuſa, ſed & omnino ſeparata arte Spag. Quamquā opium Turcis edule eſt, & ad incitandas animos gratum & innoxiū remedium. Si tamen ſuſpectum eſſet & ex hactenus receptis opiatis exterminandum, commodiſſime ſulphur vitrioli ſub-

ſubſtituimus ſimplici paregorica eaq; ſalubri τῇ ναρκώσει dotatum. Cuiuſmodi medicinam propediem in vſum producemus, ipſo ſulphure vitrioli aliquot experimentis certis tutiſſime opii virtutem bonitate & excellentia paregorica ſuperante ſatis perſpecto.

V.

Tinctura Rheubarbari.

℞. *Rheubarb. elect.*
roſar. pallidar. recent.
ſpiritus vini maluatici, ana q. ſ.
F. Spagyria Tinctura.

NOTÆ.

SPicam deſideratis, qua actio Rheub. lenta excitari putatur. Spiritus vini maluatici ſtimuli ſatis indit Rheub. ſi quo calcari habebit opꝰ. Mēſtruū improbatur. Improbentur vina medicata totū Rheub. ſemp bibētia. Si incōueniēs ſpiritus vini maluatici liquor, ſubdatur alius. Mihi vſu innoxius ſpiritus. Nec acrimonia eius pertimeſcēda, quæ ſpiritui ex maluatico nulla: ſique alquid adeſſet, tamen roſar. pallid. ecchyloſi

retunderetur, vt in ſuauem plane abeat ſaporem eumque pergratum.

VI.

Extractio aloes ſpecifica.

℞ Aloes ſuccocitrinæ opt. & a ſordibus repurgatæ (ſordium enim tanta adhæret ei ſemper copia, vt libra vna Aloes, vix vncias quatuor ſubſtantiæ habeat integræ, reſiduo ſordibus & alienitatibus quiſquiliiſque obſito & omnino reiiciendis) q. ſ. Aqua endiuiæ rite diſtillat. eliciatur, dum tincturã rubini eximiam ebiberit totam, fæcibus ſidentib. fiat ſeparatio: ſeparatum B. M. committatur, menſtruum deſtill. ſeparetur, mellea humi diffluente ſubſtantia. Huius exaltatæ ℞ ℥ 4. Add.

Succi eſſentif. violar.
perſicor.
roſar pallid.
cichoreæ
bugloſſæ
borraginis
calendulæ
primulæ veris, ana ℥ 3.

Omnia

Omnia legitimo tempore collig. & digerantur, filtrentur; labor iteretur idem, aquea humiditate balnei roris vapore lentiſ. ignis gradu difflante, dũ in ſerapii ideam faceſcant: addendo inſuper. *Extract. Rheubarb.*

folior. ſenæ, ana ℥ *ii* ß.

Eſſentiæ croci, ʒ *5.*

myrrhæ, ʒ *1.*

Ol. caryophyll.

cinnamomi, ana ʒ *5.*

magiſterii tartari, ℥ *i* ß.

F. maſſa.

NOTÆ,

Calumnientur & hoc liuentes medicaſtri, nullo examine indigum. Omnia benigna, & benignorũ optima habet; adeo vt excellentius maleuoli nec viderint vnquam nec in vſum ꝓduxerint. Et tamen ſputis ſuis putidis & virulentis tam nobile remediũ conſpuere non erubeſcunt. Quid aloes roſatum extractum ſibi quotidianũ ad hoc noſtrum aloes ſpecificum? Vah, quot ἁμαξιαῖα τὰ ῥήματα quæ phalerata

verba pyrgopolinarum iſtorum, minimum tibi horum remediorum vſu cõprobatum ſi eſſet. Stercoribus ſuperbiunt ſuis adeo, vt hæc nobiliſſima alto ſpernant ſupercilio. Venenata ſunt; quia effectuũ nobilitate ſalubritateq; euidẽtiſſima ſtercora eorum conculcari experiuntur. Ad rem. Quod βοηθηματικὸν eſt, non poteſt eſſe φθαρτικὸν aut venenatum. Vt hoc remedium ſpagyricum ita &c. cuncta βοηθηματικὰ ſunt. Ergo, &c. Propoſitio axiomatis inſtar habet & hac ratione demonſtranda: Quod ſaluti eſt, contradicit ei, quod eſt veneno. τὸ βοηθηματικὸν contrarium eſt τῷ φθαρτικῷ. Illo affirmato hoc negatur. φαρτικά γὰρ τῶν ἀλλήλων ἐναντία. Aſſũtum omnes meæ curæ abhinc multos annos concrediti vltro profitebuntur, & conteſtabuntur abunde exercitationes pragmaticæ curationum ſingularium. Quando itaque maledicere ceſſabitis? Quouſque abutemini patientia noſtra? quem ad finem effrenata ſeſe iactabit arrogantia veſtra? nullane

lane pietas, nullus amor in proximum vos absterrebit a contumeliosis vocibus?

VII.

Resina cathartica.

℞. *Terebinthinæ Cypriæ*
Opoponacis
bdellii
mastich.
thuris
diagrydii, ana q. s.

Digerantur, sublimentur, circulentur.

NOTÆ.

Nec hoc immune a morsu erit dentium caninorũ vestrorum? In stercora impingite vestra, si nolitis fractos: Solidiora hæc mea, quam vt vim persentiscere rabidi canis mordentē valeant. Si retuleritis fætore obsitos, resinam adite meam, ad sorditudinem istam abstergendam admodum efficacem.

Gibsons Balm.

IIX.

Spiritus catharticus Rul.

℞. Specier. diacarthami recent. dispensat. ℥ 3.
Spiritus vini maluatici, q. s.
F. l. ar. spag. spiritus catharticus.
filtrationis & circulati. opera.

Notæ.

Parenti fuit spiritus vitæ aureus, sed ex trochiscis alhandaal essatus, magnarum virtutum earumq; tutarum. Non minorum virium est & hic, isque securus vsu, iam solus, iam commistus porrigendus. Species diacarthami in omnibus dispensatoriis sunt receptæ approbatæque, si quid veneni habent, id obtundens habebit simul. Nihil ergo venenum aut venenatum. Spiritusne vini maluatici? At is aquas vitæ, aureas aquas profitetur. Si venenatus, aquas mortis, non vitæ præbebit. Nociuus esto; quod morbo non sit cuncto conueniens. Hoc modo quodlibet etiam optimum medicamentum. καλὰ τὶ

ergo

ergo noxius. Noxium relate, non esse potest simpliciter tale, multo minus venenatum. Quare ergo venenatum hoc extractum?

IX.

Rhodostagma solutiuum.

℞. *Extract. diagrydii*
magisterii mastiches
succi rosar. pallid.
succi tragacanthæ, ana q. s.
Digerantur, filtrentur, circulentur coagulenturq;.

NOTÆ.

Succo rosarum vel aqua destillata rosata aut simplici ad tantam benignitatem Diagrydium reduci potest, vt omni ferocia exsutum effreni, omni benigna medicina purget clementius. Sed segregatione, digestione, filtratione repetitis habebit opus.

X.

Aqua Antepileptica Rul.

℞. Hirundinum cum nidis suis lanuginosarum integr. q. s. coniiciantur in matrat. vel alemb. destill. & aq. inde

effluentē relicto corpori ſuper infund. circuletur & deſtilliatio reiteretur toties, quoties opus erit: relictæ fæces ſpagyrice calcinentur, extrahatur ſal ſpirituale cum ſupra ſcripto appropriato deſtillato: repetatur diſtillat. donec tota qualitas per alembicum ſpecifica ſit exacta: in deſtillat. infund.

Eſſentiæ cranii humani, ℥ *3.*
Extract. caſtorii, ʒ *5.*
Eſſent. viſci corylini
rad. & flor. pæoniæ
certo tempore collector. ana ℥ *5.*
Aq. flor. hyſſopi
tiliæ
lilior. conuallių̃ cum proprio ſale
ſpiritual. deſtillat. ana ℔ *1.*
Aceti ſquillitici diſtillati, ℔ *5.*

Digerantur omnia per bimeſtre, circulentur & fiat l. art. Spagyr. Eſſentificum antepilepticum.

XI.

Puluis antepilepticus Rul.

℞. Eſ-

℞. *Essentiæ cranii humani,* ℥ 2.
corall. rub.
margaritar. ana ℥ 1.
magisterii succini ʒ 6.
spiritus vitrioli dulcif. & in coagulũ redacti, ℥ 1.
Lapidis Bezoardici oriental. ʒ 1 ß
Ambræ gryseæ, ℈ 2.
Moschi ℈ 5.
F. Alcohol.

XII.

Puluis diatartari Rul.

℞. *Crystalli tartari* ℥ 1.
fol. senæ Alex. elect. ʒ 6.
sem. anisi
fæniculi, ana ʒ 1.
sacchari ros. tabulati, ʒ 10.
Misc. F. puluis subtiliss.

XIII.

Crystallinum tartarum hoc efficitur modo suauiss. iuxta & vtiliss.

Tartarum eligatur opt. lauetur: ſoluatur ſegregatione mediante: iterum coaguletur: repetatur toties, quoties cryſtalli ideam referat artifici.

APPENDIX

Aliorum medicamentorum cum plurimorum ægrotantium ſalute hactenus εὐλόγως vſurpatorum;

quorum

DESCRIPTIONES IN LIbris artificum exſtant

Paſſim obuiis.

Oleum cinnamomi, ſuccini, ſulphuris acidũ. macis, maſtiches, lilior. conuallium terebinthinæ, myrrhæ, lumbricorum terreſtrium, nucis muſcatæ, tartari,


Oleum camphoræ, rutæ, vitrioli dulce, aniſi acidum. fœniculi ſtomachale, roriſmarini, colocynthidos, pneumato picron dictum


Balſa-

Balſamum ſulphuris. de galbano.
pneumonicum
paregoricum
ſaturninum.
Aqua bezoardica, ophthalmica
rhizotica, melanophyga.
cardiaca ſeu cardialis.
vulneralis
autidyſenterica
paregorica ſeu antipodagrica.
magiſterium ſuccini
cranii humani
tartari
corallorum
margaritarum.
Crocus Martis
ſulphur vitrioli paregoricum.
Sal abſinthii
hellebori nigri
iuniperini
rad. ononidis
cardui bene dicti
vitrioli
ſtibii
ſaturni

Mercurius Philosophicus,
Sulphur solare.
Extractum pilular. Ruffi,
aperit. M. cum Rheub.
calami aromatici
angelicæ
hellebori nigri.
asari
Tinctura corallor. rub.
hæmatit.
tartari, &c.

FINIS.





APPENDIX QVÆSTIONVM CHYMICARVM.

QVÆSTIO LXV.

An lapis Philosophorum ex Mercurio vulgari?

NEgant Philosophi Mercurium cûm sulphur vulgare ad arcanũ istud Philos. esse accipienda. Quis n. tam demens sit, vt stabile qd & perfectum metallũ ausit sperare ex Mercurio, principioque volatili? Aurum argentumque reducendum est ad primam materiam, quæ vocatur Sulphur & argentum viuum, non q-dem vulgare, sed artis, arte ex perfectioribus metallis eliciẽdum. Id quod & Auicenna in tractatu de mineralibus vere scripsit. Debet enim argentum viuum nostrum seu Philosophorum habere naturam auri & argenti,

hoc est fixũ esse, & in igni permane-
re; caliditate quoque & siccitate su-
argentum viuum vulgare vincere, &
eius humiditatem frigidam abolere.
Nullum autem metallum adeo est fi-
xum calidumque & siccum, vt aurum
argentumque. Ex his ergo eliciendu
Mercurius artis. Rosar. mai. suadet, ne
opereris nisi cum Mercurio & auro
ad aurum, & cum Mercurio & Luna
ad Lunam. Nam in his tantum consi-
stit artis beneficium. Quiuis operans
in solutione & sublimatione duorum
luminarium primum labores, vt ex eis
fiat Mercurius. Ros. Philos. Tres par-
tes habet Philos. scil. Mercurium, So-
lem & Lunam. Ex his coniunctis sci-
uit Pater Hermes conficere tincturã.
Sed tamen hydrargyrus vulgaris, non
omittendus omnino, generatione, vt
& mixtione ex contrariis exsistente,
sed terminandus, reducendusque per
principium actiuum, calidum & siccũ,
hoc est sulphur & Mercurium Philos.
Negantes Mercurium vulgarem de
lapide

lapide Philoſ. eſſe oportere, etiã quouis modo præparatum, vtuntur argumento, quod ille nec ꝓprietates nec effecta habeat Mercurii Philoſophici. Eſt enim volaticus, frigidus, humidus, indigeſtus, & nec ſe nec alia poteſt transformare, quin omni caret natura aurifica argentificaque. At Mercurius Philoſoph. non tantum fixus eſſe debet, verum etiam cum iũctus hydrargyro fuerit, id igni detinere: Debet etiam eſſe ex corpore perfecto extractus, calidus, ſiccus, digeſtus, habere conditionem hydrargyri vulgaris, quod attinet ad conſiſtentiã & motum, ita vt tactu manus non inficiat, nec madore nec nigritie: iungitur vulgari inſeparabiliter, ob naturæ conuenientiam, quomodo videmus aquam aquæ confundi, penetrãte totam tota & vndiquaque ingrediente. Inſuper in vnione & amplexu vulgaris non eſt otioſus, ſed eius humiditatem Phlegmaticam exſorbet ſiccatq; frigiditatem tollit, inductaque nigri-

tie ex corpore poſtea in puluerem eum conuertit: quæ omnia vulgaris præſtare non poteſt, cum ſit patiens ſubiectum, non agens. Itaque Mercurius Philoſophicus artis adminiculo elaboratus vulgarem Mercurium in aurum & argentum tranſmutat: quin ex Mercurio crudo vulgari medicinam efficit, quæ eodem modo tranſmutare imperfecta poteſt, nec id parua quantitate. Vt, licet Mercurius vulgaris effecta proprietateſq; Philoſophici lapidis nō habeat, affinitatem tamen ſortitur cum eo tantam, vt in eius naturam tranſire, mutariq; ipſe & vna imperfecta mutare queat, medium coniunctionis & pars fœminei ſeminis, ſubiectumque tranſmutationis. Tria itaque ſunt, quæ conſtituunt artis materiam, aurum, argentum & Mercurius; ſeu Mercurius auri, Mercurius argenti & vulgaris. Hæc reducuntur ad duo, nempe ad Sulphur & Mercurium; fixum & volatile; & tandem in vnam aquam eiuſdem naturæ

propter

propter naturam homogeneam. Vt sic in hac materia sint tria, quæ etiam nominantur spiritus, anima, corpus: Mas, fœmina, medium cõiunctionis, seu semen & aqua: sint & duo: sit tandem vnum.

QVÆSTIO LXVI.

An lapis Philosophorum veterum Philosophorum testimonio locupleti tantarum virtutum?

SI quid priscorum Philosophorum monumentis fidei est adhibendũ: eqdem lapidem Philosophicum virtutibus suis excellenter proficuis aliis rebus omnibus naturalib. artificialibusque præeminere miraculose opinandum est, dolendumque intime, nulli felicissimi huius seculi & vndiquaque sagacissimi, prius longis post se, solertia, perspicacitate rerumque naturalium euidentia explorata exactius vsuque absoluto relinquẽtis parasangis, filiorum, aut certe paucissimis tam celebratissimam medicinã,

in vſum generis humani deficientis, ſeneſcentis magis magiſque emoriē-tis, eoq; huiuſcemodi nobilitata medicina indigentis, non æque eſſe exploratam. Morieni lapidis Philoſoph. præconia hæc ſunt: lapis noſter inq̃r, eſt aqua extracta, & ſeparata, a corpore noſtro, quæ dicitur prima materia. Et illud elixir eſt, quod medicina perfecta dicitur, quæ habet virtutem ante omnes medicinas & potiones ſanandi infirmitates omnes hominū. Iam vero, quantæ ſit virtutis, quantumque in metallorum tum vegetabilium, tū animalium, tum & hominum reſtitutionem & conſeruationem, audiamꝰ. Ob id enim veteres eam vocarunt elixir, aurum potabile ſeu Philoſophorū, aquam vitæ, tincturam, lapidem pretioſum, medicinam, quæ in tria rerum genera, animale, vegetabile & minerale, actiones mirandas ꝓducit, vnde etiam nomē retinuetit lapidis animalis, vegetabilis & mineralis. Siquidem ea medicina corpus humanum ægrū ſanitati

ſanitati reſtituitur, metalla imperfecta in aurum vel argentum tranſmutantur, lapides pretioſi imperfecti perficiuntur, & vegetabilia hoc imbuta liquore, etſi prope arida & exſucca reuiuiſcunt, ac a tabe ſua, quolibet etiam tempore, in virorem prorumpũt. Eſt itaque Philoſophorum aurum ſeu lapis quædam medicina temperata, quę tanquam forma, ſeparata a ſuo corpore ad tantam ſubtilitatem redacta eſt, vt in quoduis ſibi obiectũ, inſtar formæ cœleſtis in præparatam a natura ſibi materiã operetur. Vnde conſtat quotieſcunque Philoſophi de hoc lapide Phyſico aut Metaphyſico ſunt locuti, metalla tranſmutante, hoc intellexiſſe de metallis corporis humani, hoc eſt morbis, quę per metalla Metaphyſica, hoc eſt, longi æui, eſſentiam quintam permutari poſſunt. Eſt enim fere incorruptibilis ac immortalis temperata, per elementa ipſa parificata, & ſecreta a fæcibus 4. elementorum, quæ ſunt corrupti-

oniscauſſa potiſſima, vt volunt Philoſophi, quæ ideo corpus ſanum & temperatum efficit, veluti ſpiritus vitæ, cuius vi & ope omne indigeſtum natura aut digerit, aut expellit ſuperuacaneos ac peccantes humores, eorum qualitates retundit, ſpiritum viuificat, molle indurat, durum emollit, ſpiſſum rarefacit, rarū inſpiſſat, macrū impinguat, pingue extenuat, calidum refrigerat, frigidum calefacit, ſiccum humectat, humidum exſiccat, deniq; calorem naturalem ſeu humidum ſubſtantificum corroborat ac confirmat. Eſtque veluti (vt ſcribunt propemodum omnes) medicinale corpus vniuerſale, ad quod omnes medicinarum particularitates reductæ ſunt ac infuſæ, propterea, quod illa eſt quinta veluti natura quædā a Philoſ. inducta, ſiue eſſentia, ſiue anima tenuiſſima, putrefactioni ſeu corruptioni diutiſſime plurimumque reſiſtens, ſoluta omni concretione mortali, cœleſtis ſimplexque elementorum ſubſtantia

tia, ſublimatione illa chymica ad hanc ſpiritualem naturam adducta, vt Platonici idæas a materia ſeiunctas, ſubſtantiaſque exiſtimauerint. Quam tamen medicinam nolumus prorſus incorruptibilem affirmare, cum ex reb⁹ naturalibus fiat & conſtet: Attamen ad eam ſubtilitatem & tenuitatem & ſimplicitatem ſpiritualē redacta eſt, vt heterogeneum nihil in ſe continere videatur, a quo corrũpi poſſit: quo fit, vt ægrotis exhibita eos longo tempore in ſanitate conſeruet. Summus ille vir & Philoſoph. Hermes triſmegiſtus ſpag. exercitatiſſimus veriſſimã ac certiſſimam artem ſpagyricam affirmat ſic ſcribens in ſua tabula Smaragdina: verum ſine mendacio certũ veriſſimum id, quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius, & quod eſt inferius, eſt ſicut id, quod eſt ſuperius, ad perpetrãda miracula rei vnius. Pater eius Sol eſt, Mater eius Luna. Portauit illum ventus in ventre ſuo, nutrix ei⁹ eſt terra, & vis eius eſt integra,

ſi verſa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi. Ideo fugiet a te omnis obſcuritas. Ex hoc fonte omnes alii Philoſophi ſuas experientias hauſerunt, non tantum in lapide Philoſophico ad metalla tranſmutanda, ſed etiam ad vniuerſalem illam Medicinam ſeu quintam eſſentiam extrahendam, quæ omnibus infirmitatibus mederetur, ad quam potiſſimum reſpexit Hermes. Ad eam ſpectarunt omnes omnium Poetarũ Hiſtoriæ, quæ ideo dictæ ſunt Fabulæ, quod fictis narrationib. & multis verborum inuolucris ac ſub fabulis rem tam nobilem ac pretioſam tegerent ac vulgo occultarent. Qualis eſt peregrinatio Iaſonis in Colchos ad vellus aureum reportandum. Qualis etiam Fabula de hortis Heſperidum, aurifero nemore pretioſis, vbi Draco peruigil cuſtos atque obſeruator, malis aureis conſeruandis inuigilabat, quem Hercules dicitur interfeciſſe, & aurea poma ad Euriſtheum retuliſſe. Quæ quidem

quidem figmenta Eustachyus & Suidas celeberrimi auctores Græci de arte Chymica interpretati sunt, cuius q.dem artis tam nobilis virtutibus atq; effectis multi leprosi, epileptici, hydropici, paralytici pristinæ sanitati sunt restituti. Cuius rei fidem faciunt Albertus Magnus, Thomas de Aquina. Arnoldus de Villanoua insignis Medicus Neapolitanum quendam Regem leprosum, auro suo potabili restituit: de quo celeberrimus ille Iurisconsultus Ioannes Andreas scripsit in Com. in Speculatorē, titulo de falsis, se eum nempe Romæ vidisse ante ducentos & aliquot annos aurum optimum & omni exanimis indicio ꝓbatissimum facientem. In Rosario Philos. scriptum exstat: Hominem & quodlibet animal præseruat in cōseruatiōe sanitatis. Lamina vero crystallina, quæ est elixir album, si detur in quantum granum sinapis febricitanti, curat ipsum. Etiam leprosus si per quatuor anni tempora de eadem

lamina purgatus fuerit cum puluere rubeo, vnde fit Sol, bis in anno, Martio & Septembri, curatur. Vterque puluis albus & rubeus sanat sciaticos in periculo mortis. Sanat etiam Paralysin. Item, si puluis teneatur ad nares in partu laborãtium, liberantur. Hoc dicit Hermes. Geber quoque dicit, quod Elyxir rubeum omnes infirmitates chronicas, de quibus Medici desperarunt, curet: & facit hominem iuuenescere vt Aquila, & per quingẽtos annos viuere & amplius, vt aliqui Philosophi fecerunt, qui vsi fuere eo tribus vicibus in hebdomade, quantum granũ sinapis. Est herba, quæ vocatur Saturnus de canalibus, de qua fit talis medicina. Quare nota, quod omnes infirmitates, quæ a vertice capitis vsq; ad plantã pedis generantur, si fuerint vnius mensis, in die: si vnius anni in 12. diebus: si ex longo tempore, in mense curantur: quia sicut curat omnia Metalla infecta ab omni infirmitate, sic & humana corpora. Iterũ Her-

Hermes Rex Græcorũ & Pater Philoſophorum ait: ſi de Elyxir noſtro omni die vſque ad ſeptem dies ſumſeris pondus currobiarum, capilli tui cani de capite tuo cadent & renaſcentur nigri, & ita de ſene fies iuuenis & fortis. Arnoldus ait: Hic lapis noſter virtutem habet efficacem omnem ſanandi infirmitatem ſuper omnes alias medicinas Medicorum. Nam animam lætificat: virtutem augmẽtat, conſeruat iuuentutem, & renouat iuuentutem. Non n. permittit ſanguiné putrefieri, nec Phlegma ſupra dominari, nec Choleram aduri, nec Melancholiam ſuper exaltari. Imo ſanguinem ſupra modum multiplicat & mundificat: contenta in ſpiritualibus purgat, & omnia corporea membra efficaciter reſtaurat & a læſione cuſtodit: & generaliter, omnes tam calidas quam frigidas, tam ſiccas quã humidas infirmitates arctiſſime ſanat p̃ omnibus aliis medicinis: quoniã ſi ægritudo fuerit vnius anni, ſanat in 12.

diebus: ſi vero antiqua fuerit, ex multo tempore, ſanabit in vno menſe: & breuiter omnes malos expellit humores, bonoſque inducit. Quid de præconiis medicinę vniuerſalis tot tantiſque? Eſto medicina, vt eſt, diuina; nô tamen hyperbolicis encomiis videtur dedecoranda. Suum cuique tribuendum: nobiliter agens nobilitandum præclare; ignobiliter & tamē alicuius virtutis, nec hoc defraudandum ſuo honore. Arte ſpagyrica Dei benignitate eo progredi artifici licet, vt ex pfectioribus metallis ad ſuam primam materiam reductis & aſtralibus factis præſtantiſſimam medicinam fabricare affabre queat. Num autem tantarum virtutum excellentia exſplendeſcat, experientia demonſtratiua & exēplis veris ſtabilita deficiente, fidei priſcorum Philoſophorum nil detrahendum putē; ſed tamē ita habendū, eos amore ſui & medicinæ captos tantū adſcripſiſſe medicinæ illi, plurimis quidem eximie auxiliatæ, verū haud cunctis,

cunctis, quantum nostrates Medici & Græci suis Polycrestis Hermetica tamen medicina longe inferioribus. Mercurium, perfectissima aurum argentumque magni esse vsus eiusque efficacis quotidiana comprobatur experientia. Si cruda & indigesta multum humano generi ferunt auxilii, quid de essentiis eorum & ad cœlestem subtilitatem reductis sperandũ? Hydropem, podagram, epilepsiam, apoplexiam, lepram lapide hoc Philosophico fugatos experimentis patet luculentis grauium virorũ. Quare, si grauissimi morbi aliisq; medicamẽtis refractarii elyxire Philos. depelluntur; etiã leuiores ꝓpulsabũtur affectus; vt medicina omnib. aliis iure merito sit ꝑponẽda & æstimãda maximi. Excellens analepticũ est, quo natura labefactata & iam pene intermoritura oppido & momẽto citius refocillatur reuiuiscens, quę nullis nec medicinis nec nutrimentis ante erigebatur. In paucis insuꝑ affectib. locus nutritioni

eſt, natura cauſſis morbificis occupata. Recreanda tamen, vt fortius aduerſus hoſtem inſiſtere queat. Cardiaca in promtu ſunt, quorum quædã craſſarum partiũ naturæ ingrata, ſegniter agendo nil præſtant: quædam expeditiora ſunt, omnia ad lapidis Philoſop. principia & fabricam accedentia longe tamen & natura & opera illo inferiora Quid enim auro bracteato, margaritis, corallis virium inerit cruditate, indigeſtiõe moleſtis naturæ? ſi hæc cruda cardiaca ſunt & naturã refocillantia, quid de auro in primã materiã ſuã reducto & aſtrali facto exſpectandũ efficacitatis? cauſſas morbificas, cacochymiã, recte adminiſtrata hæc medicina, corroborata natura rectius pharmacis catharticis educet. Nec deſes erit in vulnerũ, vlcerũ curatione balſamo vitæ, ſanationis auctore, ſuffulto. Τὸ vniuerſale nõ accipiendum, quaſi omnibus medeatur affectibus. Si plurimos ſuſtulerit, ſatis eſt. Non omnis morbus curabilis eſt.

est. Si quis est incurabilis ita vt aliis remediis non cesserit, medicabilis medicinæ huic esse potest, ægro & externis consentientibus. Quidam morbi diuinitus ad puniendum impios immittuntur, vt nullum remedium, refragrante Deo, saluti est possit. Sed satis. Certiora experientia vsuq; prudenti possessorum lapidis temporis tractu patebunt.

QVÆSTIO LXVII.

An aurum arte fieri queat, ex imperfectis metallis transmutatis?

ACerrima est controuersia inter Chymicos & Philosophos Peripateticos: hos negãtes cõstanter, aurũ argentumque ex hydrargyro & imperfectis metallis, adiuuante arte posse per naturam produci ad imitationem operis subterranei: illos & αὐτοψίᾳ & experimentis certis fide dignorum artificum tum rationibus firmis asserẽtes, vt quæstionis veritas elucescat, negan-

tium argumenta obiter delibabimu
responsionibus concisis additis.

I. Argumentum χρυσοποιίαν oppugnantium.

SPecies in speciem non mutatur
Ergo metallorũ metamorphosi
omnino impossibilis & arti & natura
Negatur connexum. Anteceden
corruptione & generatione natural
cotidiana conuellitur. Quidquid n
fit, ex aliquo id fieri necesse est, aut e
nihilo simpliciter. Non hoc: ex nihil
enim nisi nihil fit: illud ergo. Illud
si est aliquid, erit τὸ δέ τι. Hoc nonn
species? Ex specie igitur intereunte
fit alia species. In natura enim corru
ptibili interitum esse specierum indi
uiduarum suo modo, negare neme
sanus potest: neque tamen ideo inte-
rit genus. At corrupta specie, generis
ratio vna interibit? Negato genere,
negatur species, sed non contra. E-
quus quia non es; ideo nec animal

eris?

eris? Verum quidem eſt, omni ſpecie totaliter ſublata, genus tolli; quia quod commune eſt omnibus ſimul tollitur. Sed impoſſibile eſt hoc fieri in natura ordinaria. Semper enim manet genus & ſubiectum ſeu materia, quæ formarũ pluriũ eſt ſuſceptiua. Speciẽ autẽ conſtituit coniuncta materiæ forma ſub ſuo genere, & potiſſimũ nominatur illa ex forma quæ cum perit ſingulariter, manet tamẽ materia, quamq̃ non ſola. Immediate n. & continue forma formã ſequitur, ita vt ſola cogitari quidem poſſit, eſſe verò nequeat.

II. *Argumentum.*

A priuatione formæ metalli, non poteſt regreſſus fieri in habitum. Ergò nec poteſt tranſmutari in alteram ſpeciem & conſequenter nulla metaſchematiſmus inferiorum metallorũ in aurũ. Prius patet axiomate recepto; a priuatione ad habitũ non datur regreſſus; Quod morte deletũ eſt, non

poteſt nec arte nec natura reduci in vitam. Reſp. paralogiſmum eſſe, & rationem antecedentis imbecillã. Nihil enim prohibet, in aliquibus nõ dari regreſſum a priuatione ad habitũ, vt a mortua beſtia ad viuam. Satis eſſe ſpecies alias bene poſſe inter ſe tranſmutari, vt ex aere ignem fieri vel aq̃, & ex hac aerem vel terrã; ex ſtibio plumbũ vel hydrargyrus, ex hydrargyro plumbum, ex plumbo hydrargyrus. Vt antecedentis probatio ſit tantum particularis & lubrica. Non enim ſi in viuentium genere non datur regreſſus, (quamquam apes & veſpæ mortuæ, oleo & aceto reuiuiſcere dicuntur, & muſcæ aqua ſuffocatæ cinerib. reſtitui; pulices diuiſi renaſci:) a priuatione ad habitum non datur in inanimatis regreſſus. Quid notius eſt in Phyſica, quam in generatione & corruptione fieri motum a priuatione ad habitum, & ab habitu ad priuationem? Quid ni poſſit, quod aqua fuit, in aerem abire, & hinc in aquam reuerti?

III. Ar-

III. Argumentum.

Non datur circularis generatio; daretur autẽ in natura, si ex metallo corrupto generaretur metallum. Nulla ergo est transmutatio. Negatur idem connexum. Dari circularem generationem demonstrat Aristotel. in Element. & quæ elementorum habent Symbolum; veluti halitibus & vaporibus qui ex aqua in aquam reuertũtur reciproce. Ita 1. Meteor. c. 9. Radii humorem terræ disgregatum in vaporẽ mutant, qui infrigidatus redit in aquã seu humorem, reciditque in terram, vbi denuo potest resolui & coire. Ita sunt circulares generationes lib. 3. de cœlo, lib. 3. posterior. 2. de ortu cap. vltimo. Circularis est generatio in insectis nõnullis, vt genere bombycũ, vbi ex vermiculato ouo fit eruca viuẽs, ex hac Chrysalis, inde Nympha, hinc nicedalus, qui ouo genito rursus incoat generationem. Ex terra factus homo in terram redit. Si itaque ex a-

nimali corrupto fieri poteſt animal aliud; etiam ex metallo vno deſtructo metallum aliud hocque longe facilius quo maior eſt & vicinior conſenſus & diſpoſitiones magis congruẽtes. Sed illud. Ergo hoc. Item: ſi circularis generatio eſt naturæ maxime conueniens, non abhorret ea a metallis: ſed eſt illa. Non itaque ab metallis abhorret. Verum etiã circulari reuerſione negata, quam Ariſtotel. per formarum ſpecierumq; mutationem fieri docuit 5. Hiſtor. & lib. 3. de generat. animal. tranſmutatio metallorum in aurum locum haberet, veraq; foret μεταβολὴ, Chymicis non de circulo ſolicitis, ſed de progreſſu duntaxat a forma impfecti ad perfectioris, a non ente ad ens, a potentia ad actum.

IV. Argumentum.

Metalla appetitu naturali feruntur ad optimum ſpeciei ſuæ, in eoque acquiſite conquieſcunt conſeruarique gaudent. Ergo nulla eſſe poteſt tranſmutatio

mutatio inferiorum metallorum in aurũ. Nugationes ſunt meræ, & principii petitiones. Ferantur ad optimũ. Hoc aurum eſſe, dudum eſt euictum. Ad aurum ergo concupiſcunt contẽdere metalla imperfecta. Sed ſi de appetitu ſuo ſeu ὀρμῇ naturali fruſtrẽtur, præpeditus appetitus ille naturalis artene promouendus, impedimẽtis remotis? Hoc ſi licitum erit, etiam poſſibile. Hoc per naturam, ὀρμῇ duntaxat actione ſua diſturbata. Illud aduerſarii vix dabunt. Dent neceſſe eſt, natura dante, conquieſcere finem vltimum adeptum largior. At metalla inferiora non ſunt finem ſui perfectũ conſecuta. Non ergo quieſcent dum perficiantur? Quid obſtat perfectioni? Non natura. Hac enim apta ſunt & nata ad vltimũ finẽ. Aliud & alienum obſtabit ergo. Hoc tollendũ aut natura, aut arte. Non illa, quia illaqueata non eſt virium expeditarum. Hac ergo. Hac remoram ſubmouente & ſtimulante natura, quidni me-

talla naturæ motu iam expedito ad optimum tendent? Quin & optimum aſſecuta non cõquieſcere queunt diu materiæ appetitus diuerſi & priuationis ad varia & contraria nutãtis nomine. Hinc corruptibilia naturalia. Appetitu hoc aduerſariorum aſſerto, æternitatem naturalium ſimul aſſeuerari oportebit. Ariſt. 1. de anima 3. quidem εἰς, inquit ὃ κινεῖται φύσει, καὶ ἠρεμεῖ ἐν τούτῳ φύσει· ὁμοίως ᾗ καὶ εἰς ὃ κινεῖται βίᾳ, καὶ ἠρεμεῖ ἐν τούτῳ βίᾳ. Sed nullum inde conſectarium exſtrui poteſt omnia in fine ſuo quieſcere, nec alio motus principio a priore motus fine repelli poſſe, in quo itidem quieſcere liceat. Quieſcunt n. & in eo fine & optimo, quod τῇ βίᾳ & per vim externam ipſis contigit ἠρεμεῖν. Sint ergo & metalla inferiora & imperfecta de naturali ſua forma deiecta & in aliam mutata arte, procurante & intus agente natura: Quare non ibidem placide refrenata & contenta requieſcent?

V. Ar-

V. Argumentum.

Perfecto nihil poteſt addi. Inferiora metalla, plumbum, æs, ferrum, ſtannum ſunt perfecta. Ergo eis nihil poteſt addi. Aſſumtum probatur. I. q̃a illa ſpecies ſunt: quælibet autē ſpecies, pfecta. II. optimus fecit optimū: non autem feciſſet optimum, ſi imperfectum feciſſet. III. Si ſpecies non eſſet perfecta, continue ea aſpiraret ad ſpeciem perfectiorem, nec quieſceret in vili. Sique tenderet ſemper vlterius, eſſet tandem vna ſpecies. Propoſitionem probant. I. Quia ſi poſſet perfecto addi, non foret in ſummo ſuo eſſendi. Sed reſpondetur, connexum falſum eſſe, & aſyllogiſtiam. Vtraque pars antecedentis vacillat dubia. Perfecta enim σχέσιν habent quandam ad alia, vt perfecta in ſe eſſe queant, ad alia tamen reſpiciendo priuationis inſitæ ratione, imperfecta ſunt. Vt ouū in ſe quidem perfectum eſt, & in ſuo forma quieſcere poteſt; at quia priua-

tum eſt & aptitudinem habet in ſe ad animal, huius relationis ergo imperfectum eſt, & promotionem, aliunde accepto motu ad nobiliorem formã ſui non ſubſtantiæ addi amẽtum exigit. Species enim perfecta in ſe eſt, nec quidquã ei ad ſpeciem, qua definitur, deficit, ſed generis imperfectione deſcribitur duntaxat. Ita inferiora metalla, ſtannum, plumbum in forma ſua perfecta eſſe poſſunt, & in ea forma quieſcere, niſi accepto vlterioris motus principio patiantur ad aliud, paſſibilia videlicet propter talem materiam, & ferantur ad nobiliorem, formam determinatam, ſiue natura id fiat, ſiue arte, viquę; in genere autem metallico imperfecta omnino ſunt, quieſcentiaque in imperfectionis forma manent relate ad aurum, quod equidem perfectius & perfectiſſimum eſt.

Argument. probat. I. Non arguit conſequens, etiam dato hoc; ſpeciem quamlibet eſſe perfectam. Quãquam

quam non omnis perfecta esse dici potest, relate considerata ad aliud perfectius, ad quod moueri natum est natura. Vt ouum perfectum respectu tamen animalis ad quod moueri aptum est, accedente motus principio, imperfectum sit necesse est.

II. Ignorat elenchum. Optimum quid esse potest in sua specie, & tamen imperfectum genere. Essentiarũ enim analogia quædam est, vt aliæ sint nobiliores aliis. Ignis aere, aqua terra nobilior, quia formalior, hæc vero materialior. Optimus optimum quidem facit: sed quare non & bonũ, & melius faciet? Si hoc, vt hoc asinus docto imperfectior demonstrat, etiam imperfectum fabricabitur; optimum si tibi duntaxat perfectum a natura: Hyponemium ouum optimũ sit, at melius potest fieri pficiq; vt vere optimũ sit, dũ transit in ouum vniuocũ, seipso; Arist. 3. de generat. anim. cap. 4.

3. Ineptum est, turpeque petit principium. Species variare, excellentiaque

alias aliis præstare manifestum est, vt quæ species perfecta, respectu alius ꝑfectior esse fierique queat, nulla necessitate coacta tamen, vt ad perfectiorem tendat, in sua quiescere satagēs. Sit exemplo ouum, quod respectu animalis imperfectum est, at perfici potest fierique animal, principio motus suscitato & adaptato; hoc negato quiescere potest in sua specie imperfecta. Sic triticum, nisi seratur, nō tendit ad perfectiorem speciem, quiescēs in sua vili. Falsum itaque, fore vnā speciem tandem rerum, ad quam omnes aliæ species aspirarent semper. Non enim est vnitas motus, non ergo vnitas speciei, motu interrupto, specieb. sæpius in imꝑfectionis genericæ formis quiescentibus.

VI. Argumentum.

Naturam vel arte adiutam non posse facere permutationes in substantiis rerum, sed tantummodo in accidētibus quibusdam. Ergo nec metallorum

rum μεταβολὴ arte astrui potest. Nullę ergo mutationes substantiarum; aut si quæ sunt, alterationes erunt? Itaque vna duntaxat substantia erit, in vniuersa elementari regione, in qua omnia generabuntur solummodo alterata. Sed quid Arist. 1. de ortu text. 20. alterius generationem semper in substantiis esse alterius corruptionem asserenti?

VII. Argumentum.

Species non miscentur. Ergo non potest ex inferiorib. metallis fieri aurum arte. Antecedens probatur, quia Arist. teste 1. Metaphys. cap. vltimo, species vna ex multis speciebus fieri nequit; ἐκ πολλῶν ἀριθμῶν εἷς ἀριθμὸς γίνεται, ἐξ εἰδῶν δ' ἓν εἶδος πῶς; sed neganda cõsecutio. Quamquam enim datur, species non misceri, consequens non erit protinus, transmutationem propterea nõ dari; quod transmutatio sit absque mistione, vt si hoc transmutatur in hoc, ex aere aqua, manente subie-

ſta, abſque vlla miſtione, textus citatus ἐρωτηματικὸς eſt, affirmans ſpecies ſe habere vt numeros. At ex duobus & plurib. numeris fit vnus. Ergo ex pluribus ſpecieb. poteſt fieri vna; ex elementis numero diſcretis inter ſe miſtis corpus vnum miſtum. Neget tamen Ariſt. ſpecierum miſtionem inter ſe hoc loco. Quas ſpecies intelligit? Nonne Logicas? Vtique. Ibi enim diſſerit de ideis Platonicis, quib. affirmatis, etiam ſpecierum inter ſe coalitionem, complexionemque logicam affirmari neceſſe erit, eamq; non niſi vniuerſalem ſeparatamque.

IIX. Argumentum.

Ex duobus entibus per ſe, non poteſt vnum ens per ſe fieri. Tranſmutatione metallorũ aſſerta, exque tinctura & plumbo auro facto, fieret compoſitio ex duobus entibus per ſe, &c. Reſpond. axioma dari poſſe, de manentibus actu intellectum. At in generatione pereunt formæ præexiſtẽtes materia priuatæ; in miſtione manent

nent potentia, in vnum totius homogenei actum conſpirando, qui iam eſt vna forma vnius miſti. Ex plumbo auro facto, tincturæ & plumbi formæ nō coaleſcunt in vnum, niſi generationis modo, altera deperdita; & ſic ex duobus entibus actu per ſe non factum eſt ens vnum.

IX. Argumentum.

Speciei in ſpeciem aliam tranſmutationem confirmantib. Chymicis Erucæ in bombycem; bombycis in papilionem permutatione, negant miſochymici ſubſtantiæ mutationē eſſe, ſed duntaxat accidentium, exq; eruca fieri papilionem non permutationē ſpeciei in ſpeciem, ſed per pfectionē. Sed Reſpond. hanc ipſam progreſſionem ab imperfectione ad perfectionem arguere permutationem ſpeciei in ſpeciem. Eruca ſiquidē inpfectior cenſetur bombycis reſpectu, & formę vltimæ, cui ſubordinata illa: vtraque tamen perfectio quædam formarum gradibus diſtincta.

Species ergo, & speciei in speciem aliam transmutatio. Si accidentiū duntaxat permutatio, idem maneret subiectum, tam bombyx esset ante bombycē & membra substantialia bombycis antequam ex potentia prodirēt.

X. Argumentum.

Ex ouo per erucam, bombycemq; tandem exstat papilio: quia in viuis subordinatio quędam succedentium: at in metallis hæc subordinatio inuicemque transmutatio neganda; quod metalla iam consistunt & ad finem ꝑuenerunt propositum. Respon. argumentum posterioris falsum est. Par n. vtrobiq; ratio est, & successio formarum subordinatarum vltimæ tam in metallis est alterenda, quam in viuentibus. Successionem hanc comprobat mineralis αὐτοψία, & experientia artificum, tum demōstratum supra satis.

XI. Argumentum.

Si metallorum forent metamorphoses,

phoſes, ordinaria eſſent naturæ opera tam extra quam intra venas prognaſcentia ordinarie. At hoc falſum. Ergo & illud. Negatur antecedens. Quandoquidem artificibus exploratū eſt, ex ferro natura factum eſt æs in mineris terræ & extra, ex plumbo argentum &c. Ideo imitando naturam expeditius moliri id operis naturæ attentant Chymici. Nec vnquam metamorphoſis iſta fieret arte, ſi nulla naturarum in hæc eſſet propenſio. Ordinaria autem ſunt ea, quæ iuxta ordinem naturæ vi cauſſæ internæ ex hoc fiunt hoc, & determinata ex determinatis.

XII. Argumentum.

Cuius primi auctores fabuloſi, id ipſum fabuloſum. Chryſopœiæ primi auctores fabuloſi ſunt. Ergo & ipſa fabuloſa. Minor probatur: quia ſi Hermes Moſes fuit, & Hermeti Chryſopœia adſcribitur, nō oportuit Moſem migrare in terram ſanctam. Atqui in

hanc migrauit. Ergo. Sed antecedens damnatur falsitatis. Ex nullo siquidem auctore historico liquide cōstat, Mosen Hermetem fuisse; nec sciri potest, Mosen artem Chymicam vel docuisse vel exercuisse. In actis 7. Moses eruditus omni sapientia Ægyptiorum perhibetur fuisse. Chrysopœia tum ibi locorum vigebat. Nouerit fors eandem; non propterea ipsum manere in Ægypto oportuit, sed iussu diuino terram sanctam adire. Num autem primi auctores Chrysopœiæ fabulosi & vani fuerint, theatrum Chymicum vos docebit abunde vt & Hermetem tum Mosen discrepantes personas. Et si Moses Chrysopœiam est edoctus, eamque exercuit (edoctum fuisse ex actis demonstratum iam est; omnes enim artes Ægyptias calluit, inter quas Chrysopœia non postrema floruit) Moses non fabulosus erit auctor, doctorque.

XIII. Av-

XIII. Argumentum præſtigiatorium.

Chryſopœiæ experimenta fiunt per magiam præſtigiatricem, fraudeſque alias. Fallax igitur & præſtigiatrix Reſpon. Quod ab impoſtoribus & Pſeudochryſopœiis fit, per dolum fraudemque, id artificibus non eſt calumnioſe tribuendum. Si præſtigiatrix ars eſſet, non comprehenderetur præceptis iſtis, quæ ex natura traduxerunt artifices, & operi ſuo accommodarunt: non aſtipularetur eis affinium tranſmutationum veritas; non potentia naturæ; non tot ſinceriſſima facti auri exempla, hiſtoriæque ſummorum virorum fide certa indubitataque exſtarent. Et factum aurum ab iis nullis præſtigiis, nullis circumſcriptionib. vel ſegregationibus, ſed factum eſt artificioſe ex hydrargyro, plumbo, &c. Per tranſmututionem veram, qua Symbolica deſtructis

formis prioribus, conuertuntur in determinatum nobilius, quod eſt generis eiuſdem, operante artifice per inſtrumenta naturalia & accommodantur agentia definita & ad patiendum diſpoſita.

XIV. Argumentum.

Chryſopœia non facit verum & vniuocum aurum, ſed æquiuocum & ſophiſticum. Ergo cum ſuis artificib. ableganda extra fines Reipubl. Impoſtoribus recte & me conſule exſilium & patibulum. At arti artificibuſq; fucos & impoſturas iſtas adiudicare, cōuitium eſt dignum cruce. Nam ars adhibitis naturalibus agentibus & patientibus procurat aurum, nihil per ſe conferens, niſi miniſtram operam, qua verum aurum, naturalis auri proprietatibus viribuſque inſtructum, ideoque vniuocū, natura per ſe & principaliter agente, abſoluenteque id, elaboratur.

XV. Ar-

XV. Argumentum.

Si Chryſopœia eſt vera, aurum eſſet ceterorum metallorum finis: & ſic nō eſſent tot fines, quot formæ metallorum. Atqui aurum non eſt finis metallorum. Ergo. Reſp. Elencho amphibologiæ peccari, τȣ̃ finis eſſe. Reliqua metalla & formam & finem ſuū habere poſſunt, negato vltimo fine, q̄ eſt potentia tranſmutationis vltimæ in auro abſolutæ, in quod tranſire & illa nata ſunt, principio intus exſuſcitato, & indiſpoſitionib. minerarum, materiæ & agentium ſublatis. Interim aurum non ita eſt finis reliquorū metallorum, vt neceſſitate naturæ per intermedias metallorum ſpecies progreſſus ſemper fieri in aurum oporteat: ſed ex diſpoſita materia, agente calore & natura ſeſe promouente, ſtatim primo fine aurum fieri poteſt.

XVI. Argumentum.

Si Chryſopœia ex hydrargyro & imperfectis facere poſſet aurum, ea ad

perfectius aspirarent. At non hoc. Ergo nec illud. Minor probatur, quia vnumquodque, illarum est totum: ergo & perfectum & finitum. Si finitum non habet potentiam motus ad aliquid vlterius & perfectius, &c. Propositio est falsa & probatio de potentia materiæ nouæ formæ subinde susceptiuæ intelligenda. Imperfecta promouente principio destituta aspirare ad perfectius nequeunt, in ea forma, quo alieno principio cõtigit ꝑmanere coacta. Eis tamẽ tantũ potentia inest, qua, motu nouo instituto in melius ꝑduci possunt: Lithargyros & molybdæna principio quodam corruptiuo huc perducta sunt, vt sint id, quod fiũt: & permanerẽt in ea forma nullo principio subsequente. At artificis opere reducuntur in plumbum. Hoc aurifico principio coloreque tactum & natura & arte fit aurum. Sic de ceteris.

Ferrum aspirat ad perfectius natura ad cuprum scil. testante id Saxonia.

XVII. Ar-

XVII. Argumentum.

Si vna species metallorum in alterã mutaretur, mundus non esset pfectus. At est perfectus. Ergo. Minor probatur, quia cum tot sint species metallorum, quot metalla, desinerent ceteræ species, auri sola superstite. Resp. non totalem esse mutationem totorũ, sed per partes & ex circulari mutatione reuocari. Labitur itaq; p incipiũ pro syllogis. & neganda connexio.

XIIX. Argumentum.

Natura absoluto auro subsistit: & materiæ plumbi tam bene est sub sua forma, q̃ auro sub sua: q̃a vtraq; habet materiã suo modo temperatã, & actionib. ꝓpriis obeundis conuenientẽ. Aurum ergo non est finis metallorũ ceterorum, & ex consequente, impossibilis est Chrysopœia. Antecedẽs declaratur dissimilitudine chyli, quẽ dicit esse substantiam incompletã, q̃a finis eius erat sanguis, non ita est in plumbo, &cet. Respon. elenchum

eſſe non ſequentis. Subſiſtat plumbo genito natura; conſequens tamen nõ eſt, potentiam tranſmutationis in eo propterea eſſe abolitam. Non eſſe abolitam, arguit natura impedimentis ſuis & defectib. expedita & reſtaurata, quæ χρυσοποιητικῇ τῇ δυνάμει inſtructa ex plumbo fabricatur aurum. Tam bene porro eſſe plumbo, quam auro ſub forma ſua vtrique, duratio oſtendit & longior breuiorue. Aurũ corruptibile licet, incorruptibile tamen relate ad plumbum, quod nullo hoſte abit ſponte in cinerem, lapidẽ, ceruſſam, &c. Proſyllogiſmus nihil probat. Sit vtrique ſua craſis, non vniuſmodi, alterius enim erit melior altera, & ꝙ durabilius, huic melior craſis, eidemque melius erit ſub ſua forma alii minus durabiliori, quod eſt plumbum. Ad chylum quod attinet, is tam perfectus eſt ſua forma, quã ſanguis, nec ſemper deſtinatus per ſe & natura ſua ad ſanguinem, diſpoſitus ad naturalia & præter naturalia.

XIX. Ar-

XIX. Argumentum.

Natura non poteſt ex plumbo aurum facere. Ergo nec ars. Reſp. Negari connexum. Natura enim fecit quandoque per ſe ex plumbo aurum: ſi arte fit ex plumbo aurum, non fit id repugnante natura. Natura tamen nõ potis ſit id fabricare, an arti idem erit impoſſibile. Neg. Natura non poteſt laxata reponere, ars poteſt. Ergo.

QVÆSTIO LXIIX.

An eſſentiæ Chymicæ, quia calidiores, fugiendæ?

SInt calidiores, non propterea ex agro Aſclepiadæo fugandæ. Sunt Pharmaceuticæ calidiſſima & plantarum & mineralium, non tamen ob exſuperantem eorum caliditatẽ exſulant medicina? Medici eſt probi, nõ tam craſin virtutemque medicamẽti nouiſſe exacte, quam exploratum habere, vt κατὰ λόγον omnia adminiſtrare ſciat. Si nocet calidorum adminiſtratione, non hæc incuſanda veniunt, ſed

ineptus vſurpator, qui calorem ita adhibendum ſciat, vt effectu fuerit optimus. Omnes autem eſſentias calidiores eſſe, quam vt in vſum venire queant medicum, mendacium eſt. Multę ſunt aquæ deſtillatæ eſſentiales, quæ vix brodii calorem ſuperant, nec earum empyreuma accuſandum, cum per balneum vel roris vel vaporis deſtillentur, circulenturque.

QVÆSTIO LXIX.

An Chymicus, quia miſtorum destructor, puniendus exterminandusque.

COnuitiũ eſt in Chymicos Alchemiamque artem nobiliſſ. miſtorum deſtructores eſſe Chymicos naturalium, qui ob id clauſtra naturalium aperiunt, vt miſturas interiores, & quæ ſunt in myſterio, abditiſſimiſque corporum receſſibus latitantes eſſentiæ, rimarentur, generique humano ad fruendum producta ſiſterent.

Sunto tamen naturalium deſtructores, quid ideo vituperii vel ſupplitii merentur?

An non & Galenici naturalium deſtructores cadauera humana, bruta diſſecando, alimenta ſanis & ægris præparando, Electuaria, Pilulas, Serapia, decocta fabricando, olea item, Vngenta, Emplaſtra: In compoſitione Theriacæ, Mithridatii, &cet. Quot ſimplicia deſtruuntur, ad vnius miſti formam artificialis emergendam?

Quot pereunt in aliis compoſitionibus Galenicis ſimplicia, ad nouam formam exſculpendam? Puniantur, ſi punibiles, Ruſtici mixturam lactis deſtruentes, butyrum, ſerum, caſeum, &cet. facientes. Damnetur natura per anni viciſſitudines plurima mixta deſtruens, hyemem præſertim æſtate & vere in ſalutem hominum animaliumque nata.

Quamquam permulta ſunt, quæ niſi deſtruantur corrumpanturque

natura, vsui esse nequeũt, corruptibilia ꝓpterea & natura & DEI volũtate atque sapientia; hoc naturæ & DEI factum decretumque si imitetur Chymicus sequaturque extorrisne sit vobis misochymicis? DEVS ergo prius & natura in vsum hominum plurima naturalium destruentia culpanda castigandaque.

QVÆSTIO LXX.

An Chymica remedia vituperabilia, quod elementari crassitie exsuta?

DElirant abnormiter asserentes. Quid enim elementaris crassities, nisi velamentum virtutis intimæ, & remora actus secundi? Vituperiumne amoliri id quod obstat & efficacitatem retundit? Culinam adite coquos coquasque percunctamini vestras, vtrum suauius consultiusque sit, defœcatis, puris, sordibus cunctis abstersis victitare, rogantes. Fors Bauari estis, & Bauaricis cibis alendi; si similia confer-

conſeruantur ſimilibus. At Bauari nauſeant ſuum alimoniam. Depuratione ergo & Chymia opus. Si elemẽtaris craſſitiei ſublatio artificioſa adeo reprehenſibilis, cur ex Pharmacopœia nõ proſcribitis infuſa, iulapia, olea, ſerapia, & inſtrumenta ad depurationem hanc veſtram culinariam, manicam Hip. colum &c. facientia? Hæc opera ſunt rudia veſtra, Chymicorum elaboratiora, exquiſitiora. Si illa probantur, & hæc probentur neceſſe eſt; niſi rudi elaborato ſit præferendum, & ſordidum defæcato, impurum puro. Et ſi hoc; digni qui ſtercoribus cotidie ſaginemini, ſi merdæ ſunt nutritiæ.

QVÆSTIO LXXI.

An Chymicorum remediorum vſu plures pereant, Galenicorum?

ATrox eſt hæc in Alchymiam & huius profeſſores calumnia, virgis contundenda, ſi nõ gladio. Marte

enim & arte Thrasones isti medicastri respondere cupiunt.

Sed metus est, ne vtrobique animus deficiat. Si Chymicorum remediorum vsu plures pereunt, quam seruantur, aut in ipsa remedia culpa conferenda, aut in vsum. Non illud siue enim optima sint, siue pessima, per se nociua esse nequeunt. Vsus incusandus, qui si dexter est & medicus, etiam venena vtiliter adhiberi possunt.

Si sinister & improbus, saluberrima fiunt nocentissima. Remedia extra culpam omnem. Gladius & ignis commodat & incommodat, prout tractatur vterque.

Elencho κατά τὶ peccant & accidentis, qui Chymica prauo vsu nocentia accusant & diris deuouent, ipsa per se nobilissima vtilissimaque, modo administratorē sortiantur industrium atque peritum.

Medici incusandi Chymicarum vsur-

vſurpatores minus ſagaces atque periti, ſi quid præter virtutem medicamentorum Chymicorum in vſu contigerit ſiniſtri noxæque.

Idem de Galenicis & benigniſſimiſque cenſendum pharmacis, quæ prauo vſu non raro mortem inferunt ægris. Num propterea Medicina & Galenus veſter damnandus? Plures autem perire vſu Chymicorum tum dextro, tum ſiniſtro nondum conſtat. Hoc in propatulo eſt, plures a Galenicis medicis deſertos & ad ſceleton redactos vſu digeſtiuorum imprudenti, & purgantium frequentia, agyrtarum & Paracelſicorum tenebrionum temeraria cura conualuiſſe quam periiſſe, qui in eiuſmodi nebulorum manus non incidentes, haud dubie, vitam cum morte commutaſſent miſere. Empiricorum horum curas vt neutiquam probo nulla ratione nec lege probabiles, ita nec medicorum quorundum ineptiſſimas curationes per ſemeſtrem

trimeſtrẽ digeſtionem, præparationem, purgationem, ad ægri internecionem, verius carnificinam laudare poſſum, ſatius ducentium eſſe ſi plauſtris & hauſtris pharmacorum impleantur, diſtendanturque patientes, quam vno & altero Chymico remedio cito, tuto & iucunde reſtituantur. Calculum autẽ ponant nobiſcum, nũ plures perierint Chymiatria an Galeniatria. Meũ pono. Si a Galeniatricis deſerti, & morti prauo medicinę vſu apparati, a temerariis nugiuendulis ꝑ fortuitũ Chymicorum remediorũ vſum reſtituuntur; plures ſeruari neceſſe eſt ſpagyricis remediis etiã qualitercunque vſurpatis, quam Galenicis. Prius verum experientia conteſtatur, tum thermarum Chymicis remediis accenſendarum, frequentationes ab ægrotis remediorum Galen. tum pertæſis, tum non curatis. Poſterius Ergo. Quare tanta vtilitate ex temerario eoque fortuito Chymicorum remediorum vſu proueniente, quan-

quantum emolumenti ex dextra peritaque eorum administratione ad mortalium genus redundaturum putabis?

QVÆSTIO LXXII.

An Chrysopœia sit pars Alchemiæ.

NEgant misochymici & hoc nisi argumento. Si Chrysopœia foret pars Alchemiæ, eundem nec diuersum sortiretur finem. At Chrysopœia fine discrepat Alchemiæ fine. Ergo non pars Alchemiæ. Finis Chrysopœię est facere aurum ad ditescendũ: Alchemię, inseruire commodis hominum variis, sanitati quã maxime. Negatur connexum, & ratio negationis est hæc. Sicut vnius rei plures esse possunt fines, & tamen eadem non propterea diuersarum artium: ita discrepantes fines habentia, vnius artis esse possunt generali fine consentientia. Si species oppositę sub vno eodemq; genere esse possunt, etiam diuersæ artiũ partes. At illud verũ. Ergo & hoc.

Generales artes complectuntur ſpeciales artes finibus valde a ſe inuicem differẽtes. Finis alius eſt therapeuticæ alius chirurgiæ, alius diætetices, omnes artes ſpeciales finibus diſcrepantes, medicinæ tamen artis complexu generali coniunctæ. Falſo deinde Chryſopœiæ ſolus diuitiarum finis tribuitur. An auri finis duntaxat ditare? Quid non auro comparatur? Nonne auro & vita noſtra conſeruatur & producitur? Et qui ſunt fines auri natiui, iidem erũt & auri arte facti. Aurum ſi ſit potabile, idq; bibitum rite fugat lepram, impetiginem, reſtaurat balſamũ naturale, prolongat vitam, cauet morborum impetus, nonne conſentaneum cum Alchemia finem conſequtur? Si finis eſt conſentaneus, nõ poteſt diſſentaneus eſſe, quamquam etiam diſcrepante fine dato Chryſopœiæ, nihilo ſecius Alchemiæ partem eam eſſe iam euictum eſt ſcil.

QVÆ

QVÆSTIO LXXIII.

An detur quinta essentia Chymicorum.

NEgantes misochymici hisce vtũtur argumentis syllogistice ꝓponendis, & pro virili confutandis:

I.

Si in mundo sublunari nulla est substantia ab elementaribus quatuor distincta, nulla est quinta essentia extrahenda. Prius verum. Ergo & post.

II.

Si esset aliqua quinta essentia citra controuersiam materiæ inseparabiliter cohęreret. At Chymici volũt eam separari. Nõ ergo est. Maior declaratur, ꝙ omnes formę Physicę a suo subiecto sint inseparabiles, 2. ꝙ certamẽ sit, num cogitatione possint separari formæ Physicæ, nedum essentia q̃nta.

III.

Si omnia hic a cœlo fiunt ex elemẽtis quatuor, cœlumq; concurrit ad generationẽ mixtorũ, vt efficiens, quæ est caussa externa, non vt materia:

quinta eſſentia in mixtis eſſe non poteſt. Sed illud eſt. Hoc ergo.

IV.

ἀσύμϐλητον elementis immiſceri non poteſt, nec cum eis coire ad corpus miſti: cœlum eſt ἀσύμϐλητον elementis: ergo cœlum eis immiſceri nõ poteſt, &c. Et per conſequens quinta eſſentia non eſt in miſtis, nec ex eis poteſt extrahi.

V.

Cœlorum materia eſt loco mobilis, non mutabilis, habet potentiam non ad eſſe, ſed ad vbi eſſe, nec principium maleficum, cuius cauſſa mutantur, quæcunque ex elementorũ mixtione ſunt orta. Ergo non concurrit ad mixtionem, vt immiſceatur, ſed vt generationes efficiat.

VI.

Si in mixtis eſſet quinta eſſentia p̃ter quatuor elemẽta, in homine quoque eſſent. Atqui in homine non eſt. Neque ergo in mixtis. Probatur minor: ſi enim eſſet, aut in ſolidis partib. eſſet,

esset, aut humoribus aut spiritib. Sed nullum horum. Nō est ergo omnino.

VII.

Quod elementare est, non est quinta essentia: extracta Chymicorū sunt elementaria. Extracta ergo eorum non sunt quinta essentia, & ex consequente nulla est quinta essentia Alchemiæ.

IIX

Si Sol naturaque non secernit meteora, nec potest quintas essentias extrahere, nec Chymici poterunt. Atq; Sol naturaque id non potest. Ergo nec Chymici.

IX.

Forma mixti est vel temperies, vel temperiem proxime sequens essentia: Atqui temperies dissoluitur secretione. Ergo forma Physica est inseparabilis a materia, vt desinant posthac spagyrici moliri secretionem quintæ, id est, cœlestis substantiæ.

Respons. ad I.

PRimo misochymici ignorant elenchum, nec probant vllam esse in sublunari mundo substantiam ab elementaribus differentem. Equidem Aristotel. inferiora a superioribus regi affirmabat; gubernatio ista non sine actione erit.

Patientur igitur inferiora a superioribus, quibus subiecto conueniunt. Necessario itaque participabũt quidpiam præter elementare: inprimis eandem materiam cum superioribus sortita. Cœleste huiusmodi spibus sortita. Cœleste huiusmodi spirant cotidie animantia, noctu glirant cotidie animantia, noctu gliscentia, & cœleste lumen ignemque nullo igneo effectu elementari insequente, eiaculantia. Talis ignicu-lus & cœleste lumen oculis insitum esse videtur, & spiritus animalis splendendo ab elementari natura plane recedere. Riolanus commentar. in Physiolog. Fernelii ipsemet de spiritu & calido innato duplicem in viuenti-

bus

bus agnoſcit calorem: vnum agentem & formalem qui elementarem varie permiſcet: non tantum analogia propter diuinos effectus, ſed origine & eſſentia cœleſtem, qui tamen in elementari mundo quodammodo fiat elementaris: vt enim aſtris elemẽta, vt calor Soli & Marti, frigus Saturno cœleſti modo inſunt; & in Deo omnia ſunt eminenter, ſic cœleſtia ſunt in elemẽtis modo elemẽtari. Aſtipulatur Ariſt. 3. de gener. animal. cap. vlt. γίνεται δ' ἐν γῇ καὶ ὑγρῷ τὰ ζῶα καὶ τὰ φυτὰ, διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικήν. Et 2. de generat. animal. cap. 3. πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα. τοῦτο δ' οὐ πῦρ οὐδὲ τοιαύτη δύναμις ἐστιν ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις, ἀνάλογον οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. τὸ πνεῦμα elementare eſſe nequit, quia ꝓprietatũ elemen. expers, & opera eius diuiniora ſunt, quam vt elementare quid arguant. Cœleſte itaque & quintum a quatuor element. ab actione cœleſtium in miſto & elemẽtari paſſo relictum.

Licet enim cœleſtia ſui ſimilē non gignant in inferioribus naturam, ſi tamen finis naturaliter agentis ſit ſimilitudo paſſi, eorumque actio fruſtranea non poſſit eſſe, cognatam producet in ſublunaribus; quæ cauſſæ merito nobilioris quinta nūcupari poteſt. Hæcque ſententia Ariſtotel. 2. de generatione animal. Sed enim omnis animæ ſiue virtus ſiue potentia corp aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur. Et mox: Quamobrē ignis nullum animal generat, neque conſtitui quidque denſis vel humidis vel ſiccis videtur. At vero ſolis calor & animalium principium habent vitale. Id confirmatur Chymicis extract. & reſolutionibus. Si enim aliquid digeſtioni & putrefactioni committitur, ſeparatis exhibet nobis quatuor ſubſtantias elementis analogas, & vnam nobiliſſimam quintam, in nobiliori mixti parte ſubſiſtens.

Reſponſ.

Respons. ad II.

Secundo argum. produnt misochymici inscitiam suā circa res chymicas puerilem, non intelligentes, quidnā Chymicis sit quinta essentia, q̃d itē hanc separare. Corpus est q̃nta essentia, sed formale & nobilius elementari, separabile tamen arte, misti tamen elementaris purissimæ parti cohærens.

Respons. ad III.

Negatur connexum. Agat cœlum in hæc inferiora, vt ex elementis quatuor procreet mistum. Sed quia agens naturale agendo repatitur, non nuda qualitate erit in mistis, sed substantia aliqua siue corporali siue virtuali, enitens naturaliter quo mixta generando suæ naturæ similem substantiam procreet simul, quæ quinta essentia nuncupari potest. Interim nec omnia à cœlo ex quatuor elemētis facta sunt, nec cœlum ad generationem mixtorum concurrere oportet: considerētur generationes animalium, planta-

rum &c. quæ nec a cœlo fiunt, nec ex elementis, ſed quodlibet ex ſeminario ſuo principio. Vbi fuere cæleſtia, terra creata iam germinante, vireſcẽteque? Potente verbo a Deo omnia procreata, & ſingulis terra naſcentibus nondum perfecto cœlo, inſita quinta eſſentia & cœleſtis quædam natura cœleſtibus analoga, ex cœli materia tamen in principio deſumta, viribus & facultatibus longe excellentior, quam vt ex elemẽtorum miſtura huiuſmodi natura exſpectari poſſit, quod ipſi lapides ex modo concurſu elementorũ compacti aliaque ex rudiori elementorum coitu conflata conteſtantur.

Reſponſ. ad IV.

Cœlum ἀσύμβλητον eſſe elementis negare non poſſumus, ideoque elementis nec commiſceri; cum ea Ariſtol. teſte 1. de ortu, miſceantur inuicem, quæ agant patianturque mutuo, vimque habent in materia eadem. At quæ agunt, non vero patiuntur, vt cœleſtia

leſtia eandem materiam cum element. non habentia negat miſceri poſſe idem. Non miſceantur cœleſtia cum elementis aut elementaribus, an conſequens protinus, ob negatam hanc miſtionem, quintam eſſentiam rebus naturalibus non ineſſe? Neutiquam ſequitur.

Nam nec ignis miſta ingreditur συςατικὸς, ſiquidem maxime eſt formæ etiam Ariſt. teſte 2. de ortu 3. de generat. animal. text. 50. 2. meteor. nec aer; potentias tamen ſuas in mixtis abſconditas habent, nō corpora ipſa. Ita cœlum ſecundum ſubſtantiā non eſt concurrere ad elementarium generationem; virtutem & potentiam ſuam ſatis eſt contribuiſſe & agentibus cœlo & ſole qualitatibuſque actiuis effectum eſſe diuinius, quid in naturalibus quam ſunt ipſa elementa materialia, extra quæ & ſine quibus tamen nec eam ipſam exſiſtere concedimus. Plantæ huius &

illius ratio non a nudis exſtat vel efficitur elementis, quia potior & alia eſt, quam elementaris, nec calido, humido, frigido aut ſicco definienda, ſed a motu proficiſcente ab eo, quod actu eſt id, quod potentia eſt id, ex quo gignitur, efficitur, recumbente in materia ſeminea, qua comprehenditur principium illud cœleſte, quod calor & ſpiritus dicitur. Ariſt. 2. de generat. iſque cœleſtis non ex elementorum confluxu natus. Quamquam ex ſacra cõſtat ſcriptura, DEVM in mundi creatione, Spiritu aquis incubante Sancto, portionem cœleſtem mixtis inſeuiſſe, ſiue creando, ſiue ex communi cœli materia accipiendo, ſiue ex elementis.

Reſponſ. ad V.

Hoc priori eſt vanitate par; ideoque dato reſponſo anticyras ablegandum. Sit cœlorum materia loco duntaxat mobilis, non mutabilis &c. omnibus his datis, nondum tamen cõſequens eſt, quintam non eſſe præter ele-

elementares, eſſentiam quampiam. Data non ſunt concedenda. Cœlorũ materiam non eſſe mutabilem, ſacra confutat ſcriptura, quæ cœlum inueteraſcere & interiturum tandem dicit. Et Aſtrologi quidam mutationes quaſdam cœleſtium obſeruantes; tũ diluuium ruptis cœli clauſtris mutabilem materiam demonſtrant. Et quis immenſi inacceſſique illius cœli materiam atque officinam penetraliaq; omnia intime perſpecta habet, vt omnem mutationem cœlo abeſſe affirmare auſit? Potentiam non ad eſſe habere cœlum inſuper dicitur. At habet ſemper actum ſuum, perfectioneque ſua fruitur actuque cum loco eſt ſuo. Si concurrit ad mixtiones rerum, non vt immiſceatur, ſed vt generationes efficiat, quæ effectionis eius ratio? Aut tribuit aliquid generando, aut nihil. Si hoc, non eſt generationum efficiens. Si illud, erit aut corporale aut ſpirituale, vtrunque cœleſtibus affine & a confluxu elemento-

rum diſparatum, quid quintam eſſentiam vocare licebit. Omnino neceſſe eſt ita fieri, ſi agentium naturaliter finis eſt ſimilitudo paſſi.

Reſponſ. ad VI.

Huius aſſumtum negatur, cum proſyllogiſmo principium petente. Non ſit in ſpiritibus, non ſit in humoribus; erit tamen in ſolidis aut aliqua ſolidarum partium, quæ a Chymicis ad oculos demonſtratur & naturali & artificiali reſolutione, tum ſapientum auctoritate locupleti. Quid? Si nihil rebus naturalibus, hominiue ineſſet, præter quatuor dicta elementa & nihil quintum foret ſtatuendum, quid niſi lapidum arenariorum & ceterorum ex puro puto elementorum cõfluxu compactorum vulgarem elementaremque naturam referrent cuncta. Nobilius quidpiam exſplendeſcit ex pleriſque rerum naturalium, potiuſque, non ex coitu elemen-

torum

torum prognatum, sed ex ſemineo principio calore ſpirituoſo fœcundo natum, ex concretione ſpirituali in cœleſti corpore ſuo hærens. Repono igitur miſochymicis hoc argumentum.

Si nihil ad rerum naturalium generationem conſtitutionemque concurrit aliud & quintum, quam quatuor elementa: omnia nata procreataque viribus elementis paribus nec potioribus erunt dotata. At pleraque naturalium eis virtutibus exſplendeſcunt, quæ naturam elementorum longe exſuperant. Quintum itaque dandum præter quatuor elementa, quod auctor nobiliſſimarum virium in magnifico naturæ theatro editarum exſiſtat, quodque non tam vi principiorum generationis, quam Chymicorum ſegregatione, elementis 4. ſuo quolibet ſubiecto ſeorſum ſubſiſtentibus nihiloſecius, euidenter comprobatur.

Respons. ad VII.

Quod elementare est, non est qn-ta essentia, homonymia laborat. Proprie & vniuoce cœleste non est elemẽtare; at nihil obstat, quin analogũ cœleste haberi possit. Calidum natiuum τὸ πνεῦμα. 2. de generat. Arist. cœleste vocat, non tam propter analogiam, quandam, sed & ob essentiam talem. Quidni quinta essentia cœlesti naturæ analoga eiusmodi nomine indigitanda. Dicentes quintam essentiam non simplicissimam, illam cœli substantiam intellectam volumus: sed misti nobilissimam partem cœlestis naturæ æmulam, siue operante cœlo, elementis inter se commistis, siue insita natura agente cum calore & spiritu per semen cuiusque ex primæ procreationis propagationisque virtute enatam. Minor secundum quid vera est. Extractiones Chymicorum quædam sunt elementares magis, quædã minus, & ad cœlestem naturam pro-

xime

xime accedentes. Probatio minoris imperitiam Alchemiæ & modorum extrahendi puerilem arguit, & misochymici ad artifices ablegandi, quò erudiātur prius exactius in artificiorū Chymicorum modis enchirisibusq;, quam adeo temere obganniant artificibus sapientissimis.

Respons. ad IIX.

Minoris probatio est hæc: Quia Sol non secernit Cometas, sed si potentia inerant in misto: Secretio actu in sistentia educit. Tota connexio neganda cum Prosyllogismo apeiriam miserabilem sapiente, Solem & naturam non secernere meteora, falsum est. Dum enim ἀτμὶς ad mediam aeris regionem euehitur operante sole, & καπνὸς seu exhalatio in supremam regionem euolat, nonne segregatio q̃dã tum a sole tum natura instituitur? Actu secernenda segregari oportere, non tam Chymici quam Aristoteles ex mistis elementa 3. de cœlo &cet.

Potentia non actu inhærentia, secernens confutat. Falsum & hoc, si natura nō potest quintam educere essentiam, nec Chymiam posse. Ars excellit in medicina tum Chymia naturæ plerisque suæ operationis modis. Solis tamen calore arte directo olea & aquas destillant artifices, nec vnquā sine natura, naturalibusque instrumentis operantur.

Respons. ad IX.

Ineptire videntur misochymici hac asyllogistia. Forma mixti est vel temperies vel temperiem proxime sequēs essentia. Si temperies forma mixti est, non essentia erit; opponuntur enim & hoc negato, affirmetur illud. Temperiem autem τὸ δέτι constituere & formæ fungi officio, viderint affirmantes, ne ex accidentibus substantias, & ex his illa effingant.

Formam Physicam inseparabilem esse a materia, falsum esse docet ani-

ma-

mæ hominis, quæ forma Physica est, e corpore secessio. Insuper & separabilis si mixti forma temperies est. Siquidem crasin crasi commutari ætates hominum sibi succedentes liquido contestantur, tum plantarum & aliarum rerum naturalium iam benigne iam maligne, nunc calide nunc frigide affectarum vicissitudines.

Quod autem commutatur id separabile est. Crasis eiusmodi est. Ergo. Et si forma etiam hæc separabilis erit. Separabilis quinetiam Chymico modo, dum elementari impuritate, liberata proprio & astrali suo subiecto intimoque insidens circumfertur.

QVÆSTIO LXXIV.

An Medicina possit carere Chymia Chymicisque remediis?

INnouationis notam inurendam mihi censuerunt iam olim miso-

chymici, Chymica remedia operoſe
& rite in vſum ducēti, & turbatæ pacis
Reipublicæ ſtigma vulgata non ſemp
pharmaca vſurpanti apponendum.
Artium nobiliſſimarum ignari, & cō-
temtores male feriati ſtigmatici ſun-
to; iniurias vero atrociſſimas & arti &
artificibus nequiter illatas DEO & ma-
giſtratui vindicandas relinquentes,
argumenta eorum quibus & Chymi-
am & Chymica alto ſupercilio præ
ſuis culinariis remediis deſpiciunt, de-
ſpectiſque careri poſſe ſtolide & liui-
diſſime aſſerere audent, penſiculabi-
mus.

Argument. primum. Medicina
caruit olim tempore Hippocrat. &
Galen. præparatione Chymica medi-
camentorum, ſine vlla iactura ſanita-
tis. Ergo & hodie carere poteſt. An-
tecedens declaratur: nec minus be-
ne, imo auſim dicere meli⁹ fiebat me-
dicina. Item in ſpecie dicitur de diſtil-
latione, & olim caruiſſe, & iam ea ca-
rere poſſe medicinam.

Argu-

Argumen.alterum. Medendi perfectio non conſiſtit in varia præparatione remediorum, aut per deſtillat. præparatis, ſed in dignotione morbi, quod qui poteſt, bene mederi poteſt. Reſpond. negandam eſſe conſequẽtiam. Non enim ſi olim caruit Alchemia, etiam nũc carerere ea poteſt. Similiter argumentari licebit. Hippocratis tempore tum Galeni iis omnibus medicamentis hactenus tum a Græcis tum Arabibus tum hos inſequentibus medicis in vſu receptis carere poterat Medicina. Ergo etiam nunc. Exigantur igitur benigniora prę ſertim, Rheubarb. mechoacanna, manna, folia ſenæ, & plauſtrum ſimplicium, antiquo ſeculo nunquam cognitorum, nedum in vſum ductorum medicamẽtor. a ciuitate Aſclepiadea. Reuocẽtur in vſum iſtis abolitis cunctis, peplium, helleboriſmus Hip. lathyris, &c. Damnetur medicina tota Hippocratica eodem fundamento. Nam ea carebat mundus aliquot cen-

tenis annis. Et tamen optime tum valebant homines longæui, & ægrotantes facilius, feliciuſque reſtituebantur, quam nunc. Hippocrat. Medicina cum Hippocrate cœpit, non abſoluta.

Nihil enim ſemel cœpiſſe & abſolutum eſſe poteſt. Et Galenus, negaret Hippocrat. medicinam abſolutã. Carerene additione Galenica medicinæ Hippocrat. vt olim, ita etiamnum hodie poterimus? Sanus ſi es, haut dixeris. Percurrite omnes Medicinæ partes Hippocat. tempore enaſcentes, nulla occurret tum perfecte enata. Sique earum quædam perfectionem ſunt conſecutæ, tamen non omnes. Pharmaceutice quam manca, quam ieiuna, quam frigida. Perfectione itaque opus. Hinc tot Antidotaria a Græcis, ab Arabibus & noſtro ſeculo.

Exſulent veſtra diſpenſatoria, quibus carere poterat olim mundus & ætas Hippocrat. & Galenica, & frue-

min

mini Helleboro Hippocrat. Miſochymici? Conculcentur veſtri horti tot peregrinis, Indicis, Hiſpanicis, Calocuticis ſimplicibus, quorum ne Diabolus ipſe notitiam habet, ad ſuperbiam duntaxat & vanam oſtentationem excultis, quibus merito carere priſcum ſeculum poterat, quia nullius vſus incognita, nec ad perfectionem Botanices quidquam facientia, quia ſuperflua. At Chymia pars eſt Pharmaceutices medicinæ partis, Meſue teſte.

Non igitur perfecta eſſe poteſt medicina, ſed manca, non addita parte integrante. Sed & hæc mutila foret, non Chymia exornata.

Quare Medicina, perfecta & abſoluta ſi eſt definienda, omnibus ſuis partibus perfecta eſſe nequit, Chymia deficiente, quam ad ſui integrationem & complexum eſſentialem omnino complendum receptam cupit.

Num autem Hip. tempore melius curati ſint ægroti, quam noſtris, patet monumentis Hippocrat. cunctis. Teſtimonium feliciores curæ perhibent libri Epidemici. Quot potuiſſent ſeruari, priſtinæque ſanitati reſtitui, Hippocrate noſtris medicinis inſtructo? Parentem meum p. m. duo millia hominum lethaliter decumbentium reſtituiſſe centuriarum medicinalium millenarius geminus conteſtabitur. Tot ne curauit Hippocrates? Quot Galenus ſanauit? Et ſi melius ſunt curati ægrotantes Hip. tempore, quam noſtro, accidentis vitio contingit. Ante Hippocratem melius curati ſunt homines, nondum Hippocratica medicina exſtante, quam poſt: & carere nihilominus poterimus medicina Hippoc. curentur Germani in Germania felicius meliuſque quam in Italia. Meliorne propterea noſtra medicina, aut carere medicina Italia poteſt ſua? Vulnerum pleraque curatu Italiæ ſunt difficilima, Germaniæ facili-

facilima. Carerene Chirurgia propterea Italia poterit. Regiones diſcrepant ſalubritate, inſalubritate. differunt & ætates, mores. Alii aliis ſunt imbecilliores, obedientioreſq;, multaque alia quæ felicitatem curæ vel promouent vel remorātur. Omnino falſum eſt, nos carere poſſe Chymia Chymiciſque remediis, inprimis ſi reſpexerimus, ad facilius, tutius iucundiuſque medicandum. In acutis morbis, quando feſtinatum indicatur præſidium, quid celerius exſequitur indicationem Chymicis remediis? Quid ferunt opis in ſyncope aquæ cordiales, eſſentia corallorum margaritarū, &c. Quid in Apoplexia, apoplecticæ eſſentię, quid in Epilepſia antepilepticæ? Morbi ii, qui antiquitati Hipp. & Galenicæ venerandæ ἀνίατοι fuere, fugātur, reſtitutis ægris empeiria logica adminiſtratis Chymicis. Apoplexia, Epilepſia, elephātiaſis, hydrops, podagra. (Nodoſam incurabilem eſſe improprie dicitur: cum tophis articulos

occupantibus iam Podagra censeri nequeat, sed iam organicus habendus morbus, Podagra symptomate & pro articulorum dolore habendo) quartana opprobria hactenus medicorum sunt iudicata & immedicabilia. At Chymicis remediis isti hostes omnes profligantur.

Dubitantes centurias Rulandi, Quercetanum, Balthasarum Brunnerum, & alios nostræ ætatis Chymiatros excellentes excutiant, & fælicitatem curationum eorum, in morbis desperatis cum stupore intelligent. Et carere potest adhuc medicina Chymia Chymicisque remediis? Patet inde nos longe, melius, tutiusque curare, Hippocrate & Galeno, feliciusque quod eos morbos, qui illis incurabiles fuere, prospere curemus & iis remediis, Chymia paratis, quorum olim fuere indigentes. Neutiquam itaque carere possumus Chymia, Chymicisque remediis. Vt futilitas tum impietas

ir

in DEVM bonarum artium benignū largitorem Misochymicorum adeo ingrate DEI dona, quorum eminentiss. Chymia est, æstimantium, constituatur hic Syllogismus.

Quidquid eiusmodi est, sine quo Medicus finem consequi suum nequit; eo tantum abest, carere posse, vt impietatis crimen admittat, imperfectionisque notam incurrat, qui omni studio illud non persequatur. Huiusmodi sunt Chymica remedia. Ergo contemtores bonorum DEI nasuti & perditi impietatis crimine nunquam se liberabunt, nec officio suo rite pieque perfunguntur, ista remedia, incurabiles morbos sibi depellentia, malitiose & perfide negligentes.

Quis enim officio suo satisfecisse habebitur, qui medicorum non solū media tutius, facilius & iucundius curandi ducit despicatui, iisque carere posse medicum suo officio perfunctu-rū: sed & ἀνίατα τὰ νοσήματα, pharmaca

Chymica præceptis artis Medicæ æque ac vulgaria & Galenica dicta subiecta, ideoque æque methodice adhibenda, persanantia vilipendere, proscribereque sibi præsumit arroganter, mauultque socordiæ anilis, pertinaciȩ Iudaicæ, inscitiæ puerilis stigmate notati & calumniandi libidine accusari, quam morbos per se curabiles, antiq. tati vero ob ignorantiam tum defectũ remediorum efficacium apte elaborandorum, immedicabiles Chymiatria amplectenda ἰᾶσθαι καλῶς καὶ εὐλόγως. Prosyllogismus alter, quo negat perfectionem medicinæ consistere in p̃paratione medicamentorum, sed agnitione morbi, falsissimus est, & elencho æquiuocationis, a dicto secũdum quid & accidentis vitiosissimus. Hic singulares medicationes, quibus hydrophobia conflictatus in aquam p̃cipitatur, febricitantes καυσώδεις haustu frigidæ persanantur, aliique τοῖς εὐπορίστοις, gangrænosum membrum ferro absciinditur, obtendendo, dari potest

teſt medicationem huiuſcemodi non conſiſtere in operoſa remediorum p̃paratione Chymiciſque. At hiſce nihil proficientibus in curis ſingularib. nonne artis præcepta therapeuticæ pharmaceuticam adire iubent, & efficaciora depromere remedia? Obuiis Chymicis, quæ vſu iam felici explorata tenes, qua religione impeditus ea dubitabis in vſum vocare? Abiectis his, tamen doceberis compoſita ex penu producere, non ſine artis præceptis facta. Luditur ergo tam amphibolia, quam fallacia κατά τι.

Falſiſſimus, pharmaceuticen intelligendo, cuius pars Chymia eaque non poſtrema. Sine qua medicina tã imperfecta eſt, quam ſine pathologia, in cuius notitia perfectionem Miſochymici ponunt. Sis pathologiæ gnarus, cognitos habeas omnes morbos, an propterea perfectus medicus? & perfectam medicinam te callere gloriaberis? Catholicum itaque hoc enunciatum; gnarus pathologiæ, eſt

totius medicinæ gnarus. En lapſum Miſochymici? Perfectio artis non conſiſtit in vna parte artis diſtributæ; ſed eis perfectio exporrigit ſeſe in omnes partes tam integrales quam partiales cum fine perfecto coniunctas, arguitque ſubſtantiam rei & artem reciproce. Vt, quam falſum eſt, perfectionem medendi conſiſtere in cognitione morbi, tam erroneum eandem in præparatione remediorum poſitam eſſe. Perfectio actus eſt totius, non partis. Vt etiamſi excellas in vna parte medicinæ, non tamen propterea excellens Dominus Doctor indigetandus. Copula omnes partes corporis mederi, eaſque perdiſce, perſcrutare, fors excellentia medicinæ excoquetur decoranda. Summam laudem in notitia morborum & ſymptomatum conſiſtere perabſurdum eſt. Sic enim ſumma medicinæ laus in plebe indocta reſideret, ægrotantibuſque, qui morbos ſuos vobis expeditus norunt explicare, quam

re, quam veſtra ſpeculatione vos eruere, omni ſtudio licet contendentes, poteſtis. Concludatur itaque iterũ contra miſochymicos: Quo ignorato deficienteque: ignoratur deficitque medicinę perfectio, id tantũ abeſt negligi contemni debere, vt ſummo ſtudio ſit potius excolendum. At ignoratis deficientibuſque Chymicis præparationib. remediiſq; ignoratur deficitque medicinę perfectio. Ergo. Aſſumtum ſatis eſt iam confirmatum, diſcuſſis nugis miſochymicorum.

QVÆSTIO LXXV.

An antiqua remedia, quia explorati vſus, ſint præferenda Chymicis nouis inexploratis?

MIſochymici Galenica antiq, vulgatiq; & explorari vſus eſſe opinãtur, adeo, vt etiam aniculæ medicinã facere poſſint tuto. Aſtipulatur his Damaſcenus, ſint tibi pauca remedia, eaque longo vſu probata, inquiens. Vana miſochymicorũ opinio eſt. Vaniſſimũ Chymica remedia noua eſſe:

Dudum eſt demonſtratum, Chymica & ante Galenum & poſt Galenũ floruiſſe; quomodo ergo de nouitate accuſanda, aut ob nouitatem Galenicis poſtponenda. Sunto tamen noua, erunt talia compoſitione. At eodem argumento omnia Arabum medicamenta Galeno poſteriora ideoq; noua abiicienda, tum medicamenta Miſochymicorum, quæ cotidie præſcriptione mutata fiunt noua, tum compoſitione, dum ignoratis cognita ſubſtituuntur, & veterum ingredientib⁹ baſin compoſiti conſtituentibus τὰ ἀντιβαλλόμενα dubia. Nonne hoc eſt noua antiquis præponere. Theriacam excutite antiquarii. Si vetus eſt, cur non veteris encomia aſportat, effectiſque ſuis diuinis teſtatur ſe non eſſe immutatam innouatamque. Mittite plantas veſtras & reliqua ſimplicia noua ex India, Calabria magno ſumtu allata & tuba inflata pro Catholicis remediis decantanda; ſtercora tamen. Quo præconico Saſſafras ſuperiorib. annis fuit

fuit celebratum. Pauci fuere medicorum, qui non pro panacæa id habuerint stolide. En vos nouationum studiosos? De vulgato & explorato vsu medicinarum Chymicarum loquuntur libri Chymiatrorum, & artifices infiniti, tam literati quam illiterati, supremæ & infimæ sortis homines. Si medicamenta veterum, Galenica vobis dicta, explorati vsus sunt, etiã Chymica erunt. Nam hæc simplicibus nõ variant ab illis, nisi pręparatione, quæ vsum neutiquã peruertit, nisi quodãmodo. Si quæ erunt ex metallis & mineralibus, vsus patet luculenter eorũ, monumẽtis antiquorum sapientum, isque tam certus est, quam illorũ vobis vsus libris veterum commendatus. Et vnde vsus exploratus medicamentorum, nisi ratione & experientia acquisitus. Atqui & ratione & experientia certa munitissima est Chymiatria. Ergo Chymicorum remediorum tam perspectus vsus, quam vulgarium medicaminum. Imperitis

nullorum medicaminum vſus exqui-
ſitus; ideo enim imperiti, illo licet in
monumentis peritiſſimorum anno-
tato. Omnium, per ſingularium ob-
ſeruationem crebram & eandem, de-
mum eſt comparandus medicinam
inituro, nec ratio cōparationis in Ga-
lenicis diuerſa ab ea quæ in Chymicis
Imo quia Chymica efficaciora & non
tam tuto quam cito ſuas expediunt a-
ctiones, Galenicis admodum ſegniter
agentibus: vſus ibi conſecutio breui-
ori obueniet tempore, quam hic. Ro-
gandi tamen ſunt miſochymici, q̄ fiat
Hip. & Galenũ in p̄ceptis Catholicis
adeo obſequioſe & merito ſequentes
q̄ non & medicamenta eorũ longo v-
ſu iã cõprobata in vſum reuocent me-
dicũ, ſed ea poti⁹ aboleri & ad anticy-
ras ire permittant, Helleboriſmũ in
primis Hip. celebratiſſimũ faſtidiant.
Si miſochymicis antiquiſſimorũ ſapi-
entũ antiquiſſima & expertiſſima re-
media abrogare fas eſt, nouis & incõ-
ptis ſubuectis, q̄s nobis vertet vitio,

antiqua priscorũ sapientũ Chymica, desidia & ignorãtia posteritatis Asclepiadeæ exsoleta in lucẽ iterũ ꝓducere interpolata, non nova, studeamus?

QVÆSTIO LXXVI.

An Galenica anteferenda Chymicis, quod illa & primis & secundis & tertiis qualitatibus; purgando & alterando sint potiora?

PRimis actiuis & formalibus calida Chymicis fiunt opere Chymico calidiora, vt nullus in acutis eorũ esse possit vsus. Frigida efficiunt calida adducto igniculo. Materialia & passiua plane nullũ inueniunt locum in Chymia, quia Chymicis sunt meræ formales essentiæ, ideoq; nec secũdæ eis sunt qualitates, materiis abiectis. Nec Chymicis sunt tertiæ, quia hæ sunt a temperie. Hanc destruunt. Ergo. Respon. Nugas esse nugacissimas in artis Alchemiæ ignominiam effutitas, ea ꝓpter ridẽdas. Calidiora plꝰ iusto fieri calida destillatiões refellũt acetosellæ

portulacæ, endiuiæ, &cet. Si horum nullus in acutis vſus, cur in febribus ardentibus a Galenicis ea præſcribũtur in refrigerium. Frigida ſi calida fiunt ob ſubiectum igniculum, qui caleſiunt illa, nulla igniculo ſubdito, digeſtione & ſolutione tum filtratione elaborata? Si igniculus adductus frigida calida facit, Galenici ſuo ſemet iugulant gladio, dum decocta alterãtia, brodia, ob craſſitiem ſimplicium, ignis feruentiſſimi actione diuturna, impreſſionem ignis validiorem ſuſtinentia, & hoc modo calidiora reddita, ante natura frigida, acute ægrotantibus porrigunt. Imperite & contumelioſe garriunt, nec ſecundas qualitates, nec primas paſſiuas eſſe Chymicis, quod abiectis materieb.iis ſint plane eſſentiæ, formales qualit. Incõſtantia miſochymicorum apparet, ſupra negabant eſſentias Chymicorum, iam affirmant. Non abiiciunt omnẽ materiam, ſed eius duntaxat fæculentum. Falſum, ſolas eſſentias & forma-
lia

ria Chymicis eſſe, niſi reſpectiue dicatur. Quæ calidiora fiunt plus iuſto Chymiæ, ea & fiunt ſicciora. At prius verum, aſſertorib. miſochymicis. Ergo Chymicis etiam paſſiuę qualitates. Secundas eſſe Chymicis qualitates, affirmabant extractiones aſtringentium, tormentillæ, ſerpentariæ, pyrorum Sylueſt. prunor. Sylueſt. & his affinium. Sale Saturnino, extracto chalybis, ol. vitrioli, croco Martis quid aſtringentius. At hæc ſecundarũ qualitatum & nonnulla ex illis id aſtrictionis a forma totius obtinent. Formale & eſſentiale igitur ex qualitatib. ſecũdis, ſi hæ de craſi rei ſimplicis. At ſunt de craſi rei. Formale ergo. Formam enim miſochymici temperiem rei ſupra definiuere. Hæc de arte & artificibus. Peccant elencho accidentis & ſecundum quid, ſi male operãtium imperiteque σφάλματα arti impingit. Operis errantibus in arte eſt crimen. Et pharmacopœi vulgares hallucinãtur cotidie turpiter, nequiter. Damnan-

da propterea ars pharmaceutica? Delirant tertiis & occultis qualitatibus Chymicos priuantes. Obtinuimus iam eſſentias eſſe Chymicis. Hæc tertiis & occultis maxima ex parte conſtant. Ergo. Formalia, eſſentialia conceſſerunt miſochymici, & hæc craſis formaque ipſa miſtorũ. Quorerum, formaque ipſa miſtorũ. Quomodo ergo deſtruent craſin rerum? Helleborum miſochymicis.

QVÆSTIO LXXVII.

An Galenica, quia ſalubriora, & naturæ familiariora præferenda Chymicis?

GAlenicorum remedia confutatione miſochymicorum nugarum nolumus comtemta, multo minus artem Galenicam odio habendam cẽſemus, ipſimet Galeni Hippocratiſq; Diuorum alumni iurati, ſed veritatis iuratiſſimi. Dicendum eſt quod res eſt. Miſochymici Galenica defendẽtes, veritatem oppugnant, neutiquã Galenici. Nam nec Hippoc. nec Galenus vnquã adeo iniurioſe contra artem Chymiæ ſcripſerunt, ſed eam in eſſen-

essentialem complexum medicinæ
receperunt chymiæ studiosissimi. Si
itaq; misochymicis quiduis blatera-
re licet, aduersus nobilem Chymiæ
artem; etiam nobis defendendæ ve-
ritatis ius non erit denegatum. Perga-
mus itaque. Decocta infusa, expressa,
tabulæ Galenicorũ sunt familiariora
naturæ humanæ. Ergo anteponenda
antimonio & p̃cipitato Chymicorũ.
Negatur antecedens & accidentis &
& καλὰ τὶ sophismate conspurcatum.
Decoctũ epithymi, infusũ hieræ Me-
suę, tabulę elect. diaturbith cũ Rheub.
rusticis Bauaricis, familiariora forsã
erũt delicatulis Bauaris, Principib. in-
fantib. pueris, virginib. nobilib. Multi
sunt principes, Barones, nobiles, q̃bus
familiarius est antimoniũ, quã prædi-
cta medicamina. Et cur vestra culina-
ria anteponenda antimonio & p̃cipi-
tato inuiso? An quia hæc venena & fu-
riosæ operationis? Mendaciũ est, talis
operationis incusare hæc. Et accidẽtis
vitio contingit, operariorũq; imperi-

tia, tum administrantium inconside-rãtia, furiosius ista si peragunt sua munia. Ab artificibus tractata antimonium tum præcipitatum tam benigna reddũtur, quam Manna, tamarindi, cassia. Expertis & artificibus fides habenda. Calumniatoribus mentientibus os contundendum, & antimonio agyrtarum Paracelsistarum obturandum, ne deinceps adeo temere & nequiter artifices peritos rodant. Si vero tabulæ, infusa, pulueres, electuaria &c. diagrydiata sunt, colocynthide, turbith, hermodactylis, elaterio infarta, anteponendane antimonio præcipitatoque? Itane? Quo argumento? Quia benignius mitiusque operantur Chymicorũ antimonio. Mendax est hæc probatio. Testis est Rulardus pater, D. Mermannus, Mentzelius, Brunnerus & alii viri vt doctissimi, ita experientia præclariss. antimonio recte præparato benigniorem esse energeiam, omnibus diagrydiatis, & colocynthidem, elateriũ

turbith

turbith, helleborum pro basi conti-
nentibus. Sed quot sunt in Dispensa-
toriis approbatis, electuariorum, pilu-
larum, tabularum formulę, quæ, dia-
grydio, colocynth. de hermodactylis
non sint exsaturatæ? At sunt in vsu ea
creberrimo, vt vix centeni curentur,
quibus non promiscue extractum si-
ne quibus, extractũ vel pilulæ cochiar.
exhibeantur. Et tamẽ familiariora na-
turæ sunt, Chymicis remediis, & ita fa-
miliaria, vt, licet, vehementiori eorũ
operatione ægri in sanguineum præ-
cipitentur fluxum & ὑπερκάθαρσιν, imo
orco demittantur, tamen longe sunt
naturæ familiariora ipsis Chymicis re-
mediis, antimonio præcipitato. Hæc
omni Republica sunt proscribenda,
illa recipienda. Macti veritatis & salu-
tis humani generis studio viri. Quod
naturam prosternit, naturæq; familia-
ria exturbat corpore, id neutiq̃ naturę
familiare esse potest. Electuaria, pilu-
læ, pulueres Galenicorũ, diagrydiũ,
colocynthidem, hermodactylos, lapi-

dem lazulum, helleborum possiden-
tia non modo naturam grauiter pro-
sternũt mochlica euacuatione, sed &
sanguinẽ naturæ thesaurũ pretiosissi-
mũ exturbãt. Ergo naturæ familiario-
ra esse nõ possũt, naturã minime affli-
gẽtib. multo minus sanguinẽ ducẽtib.
Nullus mortaliũ sanguinem vnq̃ ex-
creuit, animãq; exhibitiõe dextra an-
timonii p̃cipitatiq; artificiose elabo-
rati. At quot mortaliũ sanguinẽ cũ a-
nima excreuerunt diagrydiatis, pilulis
de lapide lazuli, helleboro, de colo-
cynthide, & vsitatissimis cochiarũ pi-
lulis etiã secundũ indicationes admi-
nistratis? Desideratis testes effata mea
comprobantes? Producam & defi-
niam, si conscientia vestra adhuc so-
pita iacet, & cõuitiari diuinæ arti Chy-
micæ prexeritis misochymici? Tace-
amus, contrariis curationẽ fieri opor-
tere, axiomate peruulgato medicorũ
ita docente, non naturæ familiaribus,
quæ similia habentur, qualia sunt ali-
menta, cibi &c. quibus, fatemur, satius
esse,

ſſe indicationib. ita iubentib. curati-
nē perfici, Hippocr. ita perdocente
tiam accuratè, quam ingratis & ini-
nicis naturæ pharmacis. At qa mor-
borū multi adeo pertinaces ſunt ma-
igniq;, vt non ſolū omnem diætā me-
licinalē, ſed & blandiora remedia, re-
puant, iure ad mochlica & hoſtilia de-
ueniendum.

QVÆSTIO LXXIIX.

*An Chymica remedia, quod virtutem ſu-
am deſtillatione, extractione, perdant, poſt-
ponenda Galenicis illam integram
ſeruantibus?*

CHymica remedia virtutē ſuā per-
dere labore Chymico, mendaciū
eſt, & ſuperius euictū, etiamſi nō ma-
neant illa integra, quoad ſenſus, tamē
virtutē contineri integrā, ἀναστοιχειώσει
vero deintegrari, vt vis nocitura tol-
latur, redintegrarique virtute vnita &
nil eius deperdito. Quid ergo admi-
ſere peccati Chymica, miſochymici,
vt ſint poſtponenda veſtris ſtercorib.
Deglutite hunc bolum Chymicum

misochymici: Quorum medicamina manent integra, ea non solum postponenda Chymicis, sed & plane repudianda. Galenicorum sunt eiusmodi. Ergo. Assumtum probatur cum ꝓpositionis declaratione. Integra misochymicorũ medicamenta sunt, ratione simplicium, nihil quidque neq; boni neque mali amittentia. At Chymicorũ medicamenta quoad virtutẽ integra sunt manentque etiam ante & post laborem integra, sed si quid ꝑdunt de simplicis integritate, id omne heterogeneum est, & accidendũ tanq̃ alienũ ad integritatem rei nihil q̃dquã faciens. Misochymicorũ integra sunt quidem, id est, venenũ cum medicamine porrigunt, malũ cum bono, commodũ cum nociturо, vt apparet in Diagrydiatis & pilulis de euphorbio, de colocynthide, elaterio, de lapide lazuli, quæ omnia integra deuorantur, & tamen sputa sunt pretiosa & sancte habenda. Heus sistite gressum: Quicunque integra medicamenta, id est,

id eſt, nociua cum proficuis porrigũt, ii venefici ſunt & venenatorum medicaminũ adminiſtratores. Miſochymici noxia cum vtilibus exhibent. Ergo venenorum porrectores & fabri. Quid? Ne integram quidem virtutẽ aduerſariorum medicamenta decocta infuſa, &c. retinent, id quod ad oculos demonſtrari poteſt Chymicorum & vulgarium medicamentorum comparatione inſtituta. Vulgaria decocta vaſe quæ fiunt aperto, tantũ perdunt virium, vt minimum in decoctis ſuperſit. Exhalet namque quidquid ineſt ſubtile & eſſentiale, tam vehementi ignis gradu exactum. Fiant in diplomate, ne ſic quidem ſine virium iactura decoctio peragitur. Expirat n. per hiantia optimum, vt ſi decoctio fiat in infima ædium contignatione, decoctorũ virtus in media vel ſuprema contignatione percipiatur euidẽter. Effectus id comprobat euidenter vulgarium & Chymicorum remediorum, quorum hic maior, illic minor,

ſæpeque nullus. Integerrima igitur Chymicorum remedia & propterea anteferenda vulgaribus genuinā vim ſuam nequaq̄. retinentib. Tacebimus compoſita tot ſimplicibus conflata, vt inter ſe miſta, alterum alteri repugnare & ſic perdere vires & craſin ſuam neceſſarium omnino ſit. Quomodo ergo integra miſochymicorum remedia.

QVÆSTIO LXXIX.

An Chymica remedia, quia laborioſa & non niſi longo tempore parabilia, repudianda?

RIdendi ſunt miſochymici, adeo ineptientes aduerſus Chymiam. Sunt operoſa Chymica. Hoc argumentū nobilitatis & excellentiæ medicaminum. Quod enim eiuſmodi eſt, quod non niſi longo tempore laborioſe fabricari poteſt, id curam, artificium operæ arguit, & quod diligētia artificioque fit, id & artificioſum ſit neceſſe eſt, ſi non ſimpliciter at reſpe-

ctu

ctu habito ad tumultuarias operas nulla diligentia effictas. Chymica remedia sunt eiusmodi. Ergo. Quamquam & Chymica remedia plurima extemporalia sint, & tam expedite efficienda, quam aduersariorum remedia. Nonne pari argumento expungere ex dispensatoriis receptis possem Electuaria pleraque & analeptica & purgantia. Hæc quam operosa? Quibus sumtibus, quantoq; labore Theriaca & Mithridatium conficitur? Quãtum temporis exigit eorum tum dispensatio, tum compositionis finis? Quo anno sunt vsui istæ confectiones celebratissimæ? Et tamen vera antidotus non est Antiquitatis par. Non dubitamus tamen operosissimas hasce confectiones in vsum reuocare, perperam tamen paratas, & anteferendas minus operosis Chymicis pharmacis scilicet?

QVÆSTIO LXXX.

An Hippocratica & Galenica ordinaria & potiora remedia, secus Chymica?

AIunt misochymici, quo argumẽto? Mendaci. Si Hippocratica & Galenica sunt ordinaria, cur helleborismus Hippocr. est abolitus. Cur peplium, cur reliqua mochlica medicamenta Hippoc. vsitatissima & ordinaria. Antidotaria Rerumpublicarum quot habent Hippocratica medicamenta? Nulla prorsus. Quomodo ergo ordinaria. Tota sunt plena Arabicorum & Græcorum, tum aliorum peritorum, medicamentorum. Galenica si quæ insunt, mutila inesse, ἀντιβαλλόμενα demonstrãt, & pauca sunt ea. Qui ergo antiquarum ordinaria remedia? Qui potiora? Qualia & quęnam sunt illa Hippocratica. Quid silphium, quid peplum album, quid Bacharium? Quid est potio ex cnestro? Quid cneorum? Quid Hippophaes? Vbi

Vbi nitrum Ægyptium rubrum? quid Jeropum? Dubia pleraque & de quibus auctorum graues contentiones? Ordinaria ergo? Si hæc, cur non referuntur in Antidotaria recepta ceteris & nouis deletis? Quæ in apoplexia, epilepsia, syncope & acutiss. morbis celox, iucundum & tutum præstant adiumentum conuenienter quæque πεπτὰ magis sunt καὶ ταχύπορα, sine omni nausea capienda, potiora sunt habenda & præstabiliora secus habentibus. Chymica remedia sunt eiusmodi, analepticis essentiis, aquis cordiacis tum intus tum foris. Ergo Chymica anteferenda misochymicorum remediis vulgaribus.

QVÆSTIO LXXXI.

An Chymica remedia præceptis, artique medicinæ aduersa, ideoque proscribenda?

HErculea videntur misochymici claua prostrauisse Chymica, observantes regulæ medicæ, contraria

contrariorum remedia Galenica asti-
pulari; Chymica vero, aduersari, q̃ di-
cuntur similia similib. curare. Supra e-
uictũ est, & Chymiatros contraria cu-
rare cõtrariis, curare & similib. similia
Galenicos imitando. Reqrebãt supe-
rius naturæ familiariora remedia. A
ꝙ naturæ familiare est, nonne & simi-
le. Contrarium n. nunq̃ familiare esse
naturæ potest. Similia itaq; & miso
chymici curant similib. Si morbus est
affectus præter naturã actiones lædẽs
balsamo nostro vtiq; erit contrarius
Chymiatri morbo contrarium oppo-
nentes remedium, naturæ tamen fa-
miliare, nonne explent Galenicorum
axioma. Natura operatur per se semp
& vno remedio contrarium profliga-
re, & simile roborare potest. Axioma
ta non sunt catholica similia conser-
uantur similibus, contraria curantur
contrariis. Calor cordis inspiratione
frigidi seruatur, calidioris iugularetur
Per nutritionem conseruatio non fit
per similia, sed dissimilia prius, q̃ pos-
euadunt

uadunt similia. Perpendatur locus euidentiss. Hippocrat. lib. de locis in homine, misochymicis Galenicis, & desinant nobis conuitiari, nostrorum Chymicorum remediorum administratione nos euertere Galenicam & Hippocraticam artē, ex diametroq; repugnare præceptis vtriusq;, empiriæ propterea erroneæ nos accusandos. Verba Hip. liquidiss. hæc sunt: Cum n. cuiusq; natura immutatur & corrumpitur, dolores fiunt, & sanantur cōtrariis, idq; propriū est cuiq; morbo. Velut in natura calidis, ob ipsam frigiditatē male habentibus calefiunt dolores & curantur, reliquaque eadem ratione se habent.

Alio modo per similia morbus oritur, & per similia oblata ex morbis sanantur. Veluti strangurium, cum non adest, idem facit, & si adsit, sedat. Tussisque eodem modo, vt vrinæ stillicidiū, ab iisdem fit & sedatur. Alius hic modus est, febris ex tumefactione orta, interdum quidem ab iisdem fit

& ſedatur, interdum vero a contrariis. Etenim, ſi quis interdum calida lauet, & copioſum potum exhibeat, ſanus euadit, & propter tumefactionẽ exorta febris, oblatis tumorem inducentibus ſaneſcit. Ac ſi quis medicamentum aluum ſubducens aut vomitum mouens, propinare velit, ad eundem modum ab iis, quæ excitant, ſedatur, & a ſedantibus excitatur. Etenim ſi quis vomenti copioſam aquam potui exhibeat, vna cum vomitu eluẽtur ea, quæ vomitus cauſſa ſunt. Huic quidem per vomitum vomitus ſedatur, illi vero per ea, quæ ſedant, quoniam ipſi per inferiora demittunt, quod intus vomitum facit. Sicque vtriſque contrariis modis homo conualeſcit. Ac ſiquidem in omnibus hoc modo ſe habeat, conſtitutum ſic fuerit, hæc quidem contrariis curari, quæcunque ſint, & quacunque de cauſſa fiant: illa vero ſimilibus, quæcunque tandem ſint, & a quacunque cauſſa fiant. En Hippocratem ſimilibus & contrariis

[cont]rariis medicantem. Aut igitur vos nō Hippocraticos, non Galenicos esse oportebit, aut malitiosos & nefarios calumniatores, plagis digniores, quam ulteriori refutatione.

QVÆSTIO LXXXII.

An Chymica remedia, quia magno venduntur pretio noxia Reipubl. ideoq; exterminanda?

QVid non fingunt misochymici in contumeliam nobiliss. artis Chymicæ? Pretiosa sunt Chymica. Ergo noxia Reipublicæ. Falsum est & ignominiosum connexum. Pretiosa sunt & cara Chymica κατά τι, non ἁπλῶς nociua Reip. vni & alteri noxium non potest toti Reipub. detrimentosum esse. Sunt preciosa, sed preciosior sanitas, quæ pluris habenda, quam iactura pecuniæ, medicina opitulans p̃sertim si fuerit plurium, si non omniũ sanitati. Comparentur autem misochymicorum integra cum Chymicis.

Moſchus, Ambra, gemmæ, lapis Bezoar &c. q̃ pretioſiora equidē ſunt vllis Chymicis. Detur doſis extracti cuiuslibet, ad ſcrupulum vnum & alterum, ad drachmam detur & doſis Syruporum Ferneliani, magiſtralis, vtrius doſis carior, pluriſque veniet? Sed nihil ad Chymiæ laudem vel vituperium, emtiones & venditiones; ad Magiſtratus taxationum leges iure ſpectant, cuius eſt, ſi modo ſuo velit ſatiſfacere officio, omnem ἀταξίαν & Iudaiſmum amoliri. Quamquam mercatoribus, inſtitoribuſq; impune licet æſtimare ſua diuendereque maximo quiduis, ſuo arbitratu, nec pœnitet quemuis magnam vim auri in veſtimenta pretioſa bombycina impendiſſe, ſanitate omni cariora. Quidquid expenditur pro ſanitatis reſtitutione, nimirum eſt ingratis. Deuorent ergo ſtercora, ac iis curentur.

QVÆSTIO LXXXIII.

An Chymica remedia periculosa vitamq; demoliantur, vt antimonium præcipitatum.

RESpondimus superius abunde. Chymica remedia sua natura & per se tuta sunt innoxiaque. Si periculo non vacant, ex accidentis elencho id cõtingit, & quod vsu imperito imprudẽterq; administrẽtur. Cuiusmodi sunt omnes medicinæ etiã Galenicæ, cassia a denicis exhibita fit nocentissima, per se tamẽ salubris innoxiaq;. De reliquis benignioribus par iudicium. Si vsus adest sapiens, absque omni detrimento omnis est medicina. Antimonium, præcipitatum vitam demoliuntur. Per sene? Mentimini assertores. Et Manna & Syrupi magistrales vitam auferunt, vinum, balnea, Venus, &cet. Malo vsu id euenit sinistroque. Periculosa omnia medicamina in manu stultorum & imperitorum. Et pleraque Chy-

micorum a Galeno, Arabib. Græcis ſunt profecta, rudia olim iam elaboratiora. Si nunc periculoſa, apud Galenicos periculoſiora erunt, quod eadem materia vtrobiq;, diſcrepans tamen præparatione, bonitate, malignitateque.

In omnibus Hipp. libris legimus, veratrũ, ſcammonium, granũ gnidium, peplium, hipophanes & ſimilia: apud Galenicos Electuaria, pilulas, pulueres diagrydio, colocynthide, lapide lazuli, veratro, turpetho ſaturata. Si venenata ſunt & periculoſa hæc cũcta Chymicis, venenoſiora erunt miſochymicis Galenicis. Hoc; quia integra porrigunt malignitate & venenoſitate neutiquam ſublata. Illud falſum, venenoſitate omni & heterogenia per ſeparatoriam, filtrationem &c. auerruncata, correctione Galenicorũ miſochym. ad anticyras ableganda, vt quæ foris tantum adiicitur, nec appoſitiõe vlla vllius in ſe mutuo fit actio, paſſioq;, ideoq; nihil effe-

ti ſperandum. Venenata ergo Gale-
nicorum & periculoſa remedia. Et ta-
mē amica naturæ auſint definire mi-
ſochymici præ odio in Chymiam. Id
ne naturæ amicum, quod eam in ſta-
tum abripit præter naturalem. Omne
tale inimicū naturæ & aduerſum. At-
qui huiuſmodi ſunt Galenica reme-
dia. Ergo minime omnium amica na-
turæ. De parua doſi ſuperius eſt diſpu-
tatum & aſſertum paruitatem doſis
neutiquam arguere malignitatē rei,
aut periculum eiuſdem. Elenchum
accidentis committunt turpe, exce-
dentes doſin creare periculum ægris.
Culpa hoc fit præbentium medica-
menta. Idem & miſochymicis accidit
nullam certam doſin medicamento-
rum obſeruantibus, & definita adeo
commodare ægrotantib. ait præſcri-
pta doſi exhibita medicina multos in
περκάθαρσιν præcipitēt. Quorum me-
dicamentorum doſes cautiſſime &
religioſiſſime ſunt vſurpandæ, ea pe-
riculoſiora ſint neceſſe eſt. Atqui mi-

ſochymicorum Galen. medicamen-
ta non niſi ſumma religione definiũ-
tur. Ergo. Propoſitio patet euidenter
ex oppoſito. Neglecta namque deter-
minata doſi, ſuſq; deq; habita medi-
camentorũ Galenic. nihil certius niſi
mortis periculum impendet, aut συν-
δρομὴ lethaliũ ſymptomatum. Rurſus:
quorũ medicamentorum effecta pe-
riculoſa lethaliaque etiam arte admi-
niſtrata, ea neceſſario periculoſa ſint
neceſſe eſt & maligna. Huiuſcemodi
ſunt Galenica Hippocr. Ergo. Aſſum-
tum demonſtratur non tam quotidi-
ana practicantium & talibus pharma-
cis vtentium etiam caute & circum-
ſpecte, experientia, quam aphoriſmi
tot Hippocrat. lib. in primis 4. aphor.
hellebori vſum etiam dextrum, ſpaſ-
mos ſingultum ὑπερκάθαρσιος que alia cõ-
comitantia ſymptomata inferre ſolit.
edocentibus. Chymicane talia? Anti-
monium, præcipitatum ſolerter caſti-
gatum nunquam viſa ſunt vel mini-
mum horum ſymptomatũ induxiſſe.
Vtr

Vtra igitur vtris præferenda, vtraue periculosiora?

QVÆSTIO LXXXIV.

An antimonium promiscue omnes humores exturbet nec similitudine trahat, more aliorum purgantium?

SVperius explosa est similitudo purgantium omnino explodenda. Alia itaque ratione purgabunt pharmaca, similitudine negata. Si ea virtute antimonium operatur, qua Galenica remedia purgantia, non promiscue omnes exturbabit humores. Hoc verum. Ergo & illud. Malos bonosque indiscrete humores eiicere antimonium experientia redarguit falsitatis, mendaciique. Nec violentius exturbat aliis vsitatis vomitariis, helleborismo, asarino puluere. Ausim asserere sancte exhibito puluere vel decocto rad. asari omnes, quibus exhibebatur violentius longe molestiusque vomuisse vllo antimonio qualitercunque parato.

Exturbet malos humores. Num bonos? Quibus ſanguinem exegit ſtibiũ vel antimonium? At Galenica non modo promiſcue omnes eiiciunt humores, ſed & bonos, & ſanguinem. Antimonium igitur nobilius, nec ꝓmiſcuorum humorum exactione infamandum. Quamq̃ etiam ꝓmiſcue omnes ſi eiiceret humores, tamen aliis Galenicis remediis foret par, ideoq; nulla ratione proſcribendum, ſed & in Antidotaria reponendum, tutius medicamẽ colocynthide elaterio, lapide lazuli, helleboro, diagrydio, &c.

QVÆSTIO LXXXV.

An Chymicis nullæ qualitates primæ alterantes.

NEgant miſochymici eo, quod tẽperamentũ miſti deſtruant Chymici, meraq; formalia & eſſentialia fabricent. Formalib. affirmatis a Chymicis effictis, temperamentum ipſum affirmari oportet. Hoc enim nihil aliud eſt quam forma mixti, qua mixtũ.

Mixtio

Mixtio n. est vnio contemperatorũ,
quæ crasis est & forma mixti, ab inte-
iore licet dependeat forma. Conces-
is formalib. & essentiis, ipsas qualita-
es concedi oportet. Crasis n. est qua-
itatũ elementariũ harmonia. At for-
nalia dantur apud Chymicos. Qua-
itates ergo necessario & vegetiores,
tpote ab inquinamentis & carcerib.
orporum liberatæ. Quid? Τὰ πάθη
Chymicorum remediorum demon-
trant mixtionẽ elementarib. conue-
ientem. Qualitates ergo Chymicis.
apores, odores essentiarum & magi-
teriorũ Chymicorum deprehendũ-
ur sensib. liquido; at illa sunt mixto-
ũ: mixta qualitatib. conflata: qualita-
es ergo Chymicis & primæ & secũdæ
tertiæ. Destruatur tamen tempera-
nentum naturalium Chymia, id aut
rit mixtum aut simplex. Si mixtum,
onuincuntur falsitatis misochymici,
on erit sine qualitatibus, quarum so-
ietate harmonica fit crasis. Si sim-
lex, aut cœleste aut elemẽtare. Illud

misochymici superius negarunt. Hoc ergo. Si hoc, qualitatibus erit affectũ, quarum merito dicitur elementare. Sunt igitur Chymici qualitates, quia crasis integra & nobilior integris Galenicis. Sunt & qualitates iisdem, frigiditas & humiditas, destructione temperiei asserta & data. Nam destructa crasi, res corrumpitur. Destructio Chymicis fit per digestionem & putredinem, quum natiuũ calidum cum humore calor insitus educitur, dominante peregrina humiditate & frigiditate. Qualitates ergo Chymicis.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Sal Chymicorum principium, negetur principium esse, quod innati calidi temperamento non sit analogum?

SAl quidem Chymicorum principium non respondet temperament[o] calidi natiui & humidi ante mistion[em] at cum miscetur cum sociis suis ad v[...] nam temperiẽ redactus, mutuis a[c]tio[...] nibu[s]

ibus & paſſionib. ex non analogo fit nalog. Deinde principiũ ſe aliter ha- et in potẽtia, aliter in actu. Ibi analo- ũ eſſe poteſt, hic nõ. Sal q eſt in oſſe, ebet eſſe proportionatus oſſi: at hoc ec erat ante nec poſt miſtionem: & amen non eſt conſequens ſal nõ eſſe rincipiũ oſſis, carnis &c. Eodẽ argu- nento negare poſſumus neque ele- nenta neq; humores principia noſtra ſſe, iiſque nos conſtare. Omne enim iuſmodi ab initio, & in reſolutione ꝑ nortem fuit diſſimile & non analo- um, ſed æquiuocum. Sal ſicciſſi- num eſt principium adductionẽ re- inens. Ergo non poteſt eſſe principi- m. Reſpond. Hoc modo etiam ne- are nos poſſe ignem & terram ſic- iſſima elementa principia noſtra eſ- e. Nec aduſtio obſtat ſalis, vt quæ b arte aliter affectus poſt reſoluti- nem, quam erat in miſtione, nec egat ſubſtantiam principii, ſed tan- um qualitatem. Pergũt miſochymi- i. Si ſal eſſet principium Chymicorũ,

eo nutriremur; (quia nutrimur his, ex quibus conſtamus 2. gener. anim. 4. 2. de ortu. Omnia nutriuntur ex iiſdem ex quibus ſunt.) Sed nõ nutrimur. Ergo? Nutrimur ſanguine. Sanguiſne expers principii ſalis? Quod probandum miſochymicis. Contra nos, iis non conſtamus, quibus nõ nutrimur. Non nutrimur igne, neque aqua, neque terra, neque aere; multo minus nutrimur materia prima, forma & priuatione quæ ſunt entia rationis, non ſenſus. Ergo ex iis non conſtamus nec noſtra haberi poſſunt principia.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Alchemiæ falſa principia?

AIunt miſochymici. Et quia falſa, nulla doctrinã veram ars iſta habere poteſt. Ex falſis enim principiis non niſi concluſiones falſæ. Reſp. At Logica vi diſpoſitionis ſyllogiſticę docet ex falſis colligere vera. At nõ ſunt falſa principia, ſed vera, vtilia. Effectus verus cauſſam falſam habere non po-

teſt

est καθ' αὑτό. Alchemia habet opera
vera & vtilia. Cuius artis opera talia,
impossibile est principia falsa esse: O-
pera Chymica vera esse misochymici
coguntur fateri; aquas apoplecticas,
epilepticas, analepticas, olea distillata,
aquas distillatas, &cet. considerando.
Sunto tamen principia vera, sed, inq-
unt, artis sunt non naturæ, principia
compositionis, non generationis. Il-
lius; quia Chymici ex tribus actu prin-
cipiis constituunt omnia, quod est cō-
ponere: huius; quia mutatione potē-
tiæ in actū per varias alterationes fa-
cit, vt materia sit actu id, q esse pote-
rat, id q est gignere. Resp. Principia
compositionis secundum substantiā
esse eadem, quæ generationis; Arist.
1. de ortu tex. 83. & 84. docet, genera-
tio licet ratione a mistione differat, si
mistio anteit generationē, & mixtio
compositione fit ex iis, quæ separata
fuerunt, hæcq; elementa, eadem sane
erunt principia vtriusq; simul. Omnia
n. generantur ex elementis 2. de ortu

tex. 46. elementa ex cõpositione materiæ & qualitatum. Arist. 4. meteor. ἐπεὶ δὲ περὶ τούτων διώρισται, καθ' ἕκαστον λέγωμεν τί σὰρξ ἢ ὀστοῦν ἢ τῶν ἄλλων ὁμοιομερῶν. ἔχομεν γὰρ ἐξ ὧν ἡ τῶν ὁμοιομερῶν φύσις συνέστηκε τὰ γένη αὐτῶν, τίνος ἕκαστον γένους, διὰ τῆς γενέσεως. ἐκ μὲν γὰρ στοιχείων τὰ ὁμοιομερῆ, ἐκ τούτων δὲ ὡς ὕλης τὰ ὅλα ἔργα τῆς φύσεως. Quid dilucidius a Philosopho dici potest, q̃ ex elemẽtis constitui, componi similaria, ex his cetera naturæ opera &c. Negãtes componi similiaria, misceri reponant, quod tamen non nisi componi est, miscendo enim componit natura. Pergũt inferẽtes misochymici. Si principia Chymicorum separari possunt arte, mista non sunt mista proprie, sed cramata, confusa. Respon. mistum reuera & naturaliter mistum esse tale, & nõ crama, etiamsi principia arte separentur. Ars enim lac in butyrum, serum, & caseum secernit, ex principiis compositum. Separat & alia mista naturalia, adminiculis tamen naturæ vsa. Mistum a natura soluitur in principia, cur desinet mistum verum esse ab arte se-

ceretum, in principia? Ars quandoque sola per se agit, quandoque cum naturæ societate. Sed & hoc concesso non tamen sunt principia vera Chymicorum, quod misceri nequeant, ob negatam actionem passionemque mutuam, quæ contrariorum sunt. At principia contraria non sunt, quia substantiæ. Ergo. At materia, forma, priuatio principia Aristotelica sunt & substantiæ.

· Ergo nec hæc principia esse possunt, quia misceri nequeunt, quia substantiæ, cui non competit contrarietas. Verum enimuero Chymicorum principia, sal, mercurius, sulphur, sunt contrariæ substantiæ, potestatibus scilicet seu qualitatib. Mercurius frigidus & humidus est respondens elemento aquæ: Sal calidus & siccus terrenus: Sulphur calidum & siccum-igneum. Misceri itaque possunt mutuo agendo patiendoque, cũ præsertim sulphuri ignis auctiuitas, Mercurio passibilitas aquæ, & sali ter-

minabilitas terræ insit atque facultas ὁριστική.

QVÆSTIO LXXXVII.

An Chymica remedia intemperata alterius accessione demum temperanda, Galenica vero temperata, ideoq; illis anteponenda?

PVngunt hic loci misochymici Chymiatros spiritu vitrioli. Quid de hoc sit iudicandum, quia abunde supra est disputatũ, superuacaneum erit iam repetere. Spiritus vitrioli nunquã corrosiuus in corpus immittitur, nisi retusus. Nec acetum, nec succus limonum merus corporibus ingerendus semp. Si exhibendus merus succus & temperatus sat natura, acetum item temperatum nec temperatione opus, quare Serapii forma exhibetur vtrũque? Temperata nec Chymica nec Galenica sunt remedia relata ad crasin corporis humani. Satis est, si temperẽtur ad vsum. Si nefas est intemperata facere, & temperata intempera-

tis

tis anteferenda, quare Theriacã, Mithridatum & theriacalia alia fabricamini? Temperata intemperatis præferenda. Quæ nam sunt vestra remedia temperata misochymici? Nulla sunt vestra temperata, ideoque nullis ea anteponenda. Euphorbium, opiũ, scammonium, elaterium & reliqua infinita medicamenta apud misochymicos in frequenti sunt vsu, nulla tamen temperata. Ad Anticyras igitur misochymici?

QVÆSTIO LXXXIIX.

An thermæ & aquæ minerales præstent artificiosis medicaminibus?

ASserunt misochymici, quia natura præstat arti. Ergo & a natura orta præstabiliora artificialibus. Argumento sunto thermæ, aquæ minerales &c. Fallunt elencho καλὰ τὶ misochymici. Natura suo modo præstat arti, non autem in mistionib. istis imperfectis, non ad scopum artis; vbi ars ita antecellit naturæ, vt longe effectus

naturæ ſuperet, quia id præſtat, quod natura ipſa nec poterat præſtare, vel ſola. Abiiciantur ergo & Antidotaria recepta paſſim, tum compoſitiones medicorum quotidie in pharmacopoliis nouiter naſcentes ab arte artificibuſque. Thermas miſcet natura, miſcet & acidulas aquas minerales, at inæqualiter & imperfecte.

Præcipitentur in aquas Auernales & in antrum intrudantur Puteolanum, miſochymici experturi præſtantiam artis & naturæ. Adeo præſtat mixtura naturæ artificialibus, vt artis correctione quam maxime indigeat, & hinc nata ſint præcepta pharmaceutices artis. Multa etiam ſunt aquæ acidulæ & minerales, quæ omnino non ſunt ſalutiferæ & potabiles. Vana igitur obiecta.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXXIX.

An Chymici destruant vitam viuentium & mixta sua natura priuent?

ANile obiectum misochymicorũ, quod coq. & lanii & cetera turba refutabit. Quis viuas plantas vorabit? Si in pharmacopœia cõponuntur, coquũtur, infunduntur, exprimuntur & reliqua vulgaria munia peraguntur a pharmacopœis, relinquiturne viuarũ rerum forma? Mixta sua natura priuare Chymicos mẽdacium est. Integra destruimus, capsulis confractis & nihil ad rei naturã per se facientib. vt ꝓmamus essentias rerum seruandæ naturæ humanæ idoneũ efficaxq;. Si naturæ mixta destruere nefariũ est, tota pharmaceutica, chyrurgica, diætetica medicina exsulet. Nõ est itaq; ꝓbrũ, si aliq͙d bonifacimus, mixta destruẽdo, vt seruetur humana. In vsum generis humani cũcta ꝓcreata a Deo. In vsu autẽ venire nequeunt ea, nisi destruantur,

vitaq; priuentur. Sed dici nihil poteſt veſanius. Multa temere corrumpuntur putredine diſceſſu ſolis, frigore & aliis de cauſis, num propterea vel DEVS vel natura vituperanda?

QVÆSTIO XC.

An fixa Galenica purgant, & ſpiritus Chymici purgantes ob ſubtilitatem mobilitatemq; ſuam reprehendendi?

INſcitiam ſuam produnt puerilem, de fixis Galenicis & ſpiritibus catharticis Chymicorũ blaterantes adeo imperite. Confunduntur extractis Chymiatrorum Rheub. cochiar. mechoacannæ. Illis ſane non meri inſunt ſpiritus, ſed ſubiecto ſuo natiuo ſuffulti, non tamen fixi. Tales n. non purgarent, docente imperitia Chymicorum, qui ſi vehementiorem ignẽ adhibuerint in extractionum laboribus ſpiritus catharticos diſſipantem, extracta effœta & ſterilia ꝓdeũt. Quod etiam Galenicorũ decoctionib. com-

probari

probari poterit. Quo n. validiori ſubdito igni longius cathartica decoxerint, eo reddentur inefficaciora. Vt ſpiritus neutiquã oporteat fixos eſſe, ſed plane volatiles, mox ſuas vires expediẽtes. Multis pilulæ deuoratæ poſt purgationem vehementẽ excernuntur; quid nã tum purgationẽ ꝓduxit. Equidem fixitas medicamenti id præſtare non poterat. Nec fixũ totum ꝑreptare corpus poteſt, & ſecũ aduehere ad locũ excretionis ſuccos excrementitios. Spiritibus id fuit præſtitum vltro citroq; volitantibus, aut ſuccorũ contagione cathartici affectorum diſtributione. Fixa Chymicorũ vere talia tam nõ purgant, vt omnem catharſin depoſuerint, docentibus eſſentia antimonii fixa, floribus antimonii fixis, & reliquis, &c.

QVÆSTIO XCI.

An empiriæ alogæ indicium & amethodicæ curæ, pharmaco purganti non præmittere digeſtiuum.

A Methodice videntur Chymiatri

purgare corpora purgationis indigẽtia, non administrantes primo digestiuum. Misochymicis medicastris calumniatoribus videtur quidem cura eiusmodi amethodica, videtur & empirica aloga cura. At, magni medicastri, contradictorie nugamini, empiricam curam & amethodicam curam deblaterantes? Empiricis tam methodus est, quam methodicis & dogmaticis. Nec iam de bonitate methodi lis. Methodica ergo cura. Non ergo amethodica. Cur ergo nugamini misochymici? An amethodica cura non vera administratur cura? Methodus est methodus, siue bona, siue improba. Nec vestræ methodi bonitas est a vobis demonstrata. Sit tamen vituperium & contumeliosum, non præmisso digestiuo purgare corpus. Quo pcepto iussi Chymiatri digestiuo excarnificare purgantẽ? Si methodicũ est digerere primo & post purgare, præceptum erit præsto & catholicũ, alias negatur methodus vera & laudabilis.

ilis. Vbi nam istud præceptũ. Produ-
cite ex Galeno? Ex Hippocrate? Si
præsto est præceptum, catholicum es-
se nequit, ergo nec præceptum me-
thodi. Hippocrat. 2 & 3. aphoris. in-
euntibus morbis purgandum corpus
docet. Et purgauit ipsemet cum Gale-
no, vt infra patebit. Præceptũ hoc se-
ctantes & legislatores hos imitantes
amethodice faciunt? At pceptum hoc
artis est methodicæ. Non ergo ame-
thodice medicina peragitur misochy-
mici. At hi sunt Galenici sunt Hippoc.
Hipp. 2. de fracturis: melius, inqt, autẽ
est, vt veratri potionẽ aut eodẽ aut po-
stero die exhibeam⁹, ac tertio die post
soluamus & rursus deligemus. Ame-
thodicusne Hipp. veratrũ vehemen-
tissimũ pharmacum, etiam in inflam-
matione febre acuta socia, exhibens?
At vosmet iactatis Hippocraticos pu-
tidi & stolidi medicastri? Non esse vos
Hippocraticos ideoque amethodicæ
curæ & empiriæ falsæ arguendos pa-
lam est.

Prius, quam deſcendam ad alia teſtimonia Hip. & Gal. argumentari licet hoc pacto. Si Hipp. artis noſtræ antiſtiti methodicũ & rationale fuit, veratro in febre acuta, inflãmatione purgare (medicamẽto vehemẽtiſſimo & venenoſo Galenicis ſcilicet, & teſtibus aphoriſmis lib. Aphor. tum Coacer. tũ ſymptomatibus ſuperuenientib. eius purgationi) vtiq; & Chymiatro fas erit clementiori lenienti fluidum facere corpus & purgare aluinam fæditatẽ. Prius iam eſt aſſertũ. Ergo & poſteri⁹. Hic rhodus, hic ſaltate miſochymici & exſultim ſaltate in ſequentib. auditis teſtimoniis, quibus ego tamen parum do loci, vt homo in nullius magiſtri verba iurare addictus. At vos munire auctoritatibus Gal. poteſtis egregie, & titulo tenus vos Galenicos venditare, aſini licet ſordidiſſimi & infames habendi. In libro de vlcerib. idẽ Hipp. In omni vlcere, cui eryſipelas ſuperuenit, purgari corp⁹ oportet, qua parte maxime vlceri conducit, ſiue id

per

per ſuperna, ſiue per inferna. Quid manifeſtius quam in principio mali corpus eſſe expurgandum & quidem electiue. Si enim vlceri parti inflicto conueniens remediũ primo eſt deſtinandum, vtiq; electiuum debet, volẽte ſic Hipp. Quid Galenus Galenici, quem deguſtaſtis nunq̃, & tamen Galenici? Scilicet meretrices bonarum matronarum titulo & ſpecie ſeſe venditare cupiunt, dolo malo ſuperbientes. Corpus autem in Angina euacuare oportet excrementis, &c. Corpus igitur ſecta vena euacuare oportet ſecta vena & purgatione & clyſterib. 6. de medic. compoſitiõe, his verbis repetit. Etenim venæ ſectione vtimur & purgatione & clyſterib. & inedia, vbi totũ corpus apparuerit aut multitudine humorum refertũ, aut eorundem malitia vitiatum. Si vero neutrum eorũ adſit, ſtatim ad curationẽ ꝑ remedia localia perueniemus. Vbi hoc loco digeſtiua ante purgationem miſochymici? medicaſtri? calumniatores?

methodici asini? 2. eiusdem libri Hemicraniæ curationem ante localium administrationem aut purgationem, aut sanguinis missionem tentare videtur euidenter: quapropter, inquit, vbi quis hemicraniam curare aggreditur, prius quali purgatione, aut sanguinis missione æger opus habeat, cōsideret, priusquam scilicet localia remedia capiti applicet. Idem voluisse 4. eiusdem libri in curandis fluxionibus, quæ oculos infestant, Galenum; & 6. Archigenis remedia ad inflammatos gurguliones referens ait: eis vero, qui suffocantur, picem & nitrū cum aqua & potu præbe: non possum mihi persuadere, qua ratione sit dictū. At vero venam secare his, qui suffocātur, & eluere forti clystere & purgatoria exhibere, gratia euacuādi vniuersum corpus & transferendi infra humorū momentū, qui ad affectas partes feruntur, rationabile est, & multa experientia iudicatū & cognitū. Iam sic obratiocinor misochymicis. Si
Galeno

Galeno & ratione & experientia constitit, suffocatos primo purgare, aut clystere acri sollicitare (vtrunque enim probat, prout reuulsionis momentum maius ab alterutro exspectãdũ. At reuulsoria vis in pharmaco est penetrantior & actiuior. Ergo) cõsultũ esse & methodicũ; vtiq; & nobis acõmunis. Prius verũ. Ergo & posteri⁹. Ne autẽ ὀργασμὸν nobis obganniant miseri misochymici, ad auertẽdũ effugiũ adduco locũ ex abũdãti lib. de atra bile: ceterũ, ait, de atra bile, quæ longa experiẽtia mihi certe cognita cõpertaq; sunt, nunc addam: sane profutura iis, qui medicæ arti non Sophisticis sermonib. sed operibus student. Omnes n. quotquot ex melãcholico humore fiunt affectus, statim inter initia strenue purgante crescere ꝓhibebis, vel vsq; ad cancrũ. Obratiocinor misochymicis & sciolis audaculis. Si Gal. in affectib. melãcholicis statim ineũtib. morbis mochlico & vectorio medicamento cum Hip. 4. aphor. secundum

methodum nobis præſcriptam & ad imitationem datam eſt vſus, & ſecus facientem Sophiſticationũ damnat; huiuſmodi præceptore conſectati & miſſo digeſtiuo in humore contumaci & pepaſmi experti abundante, purgans melanogogum non mochlicum exhibendo, non modo Sophiſticationum crimẽ euitat, ſed & plus q̃ Galenice & methodice curat. Prius tã verum, q̃ vera auctoritas Gal. Ergo & poſterius. Quare ergo incuſandi Chymiatri, primã corporis regionẽ duntaxat euacuaturi, purgans euoprolicũ exhibentes? Amplius. Si in contumaciſſimo morbo ineunte, mochlico remedio ſuadente Galeno, ratione & experientia veris confirmato, nullo digeſtiuo præmiſſo vti fas eſt; in facilioribus morbis, humoribus minus refractariis enatis, leuiorib. & benignis vti licebit Chymiatris. Prius verũ. Ergo & poſterius. Quid? Gal. 13. method. medendi, in inflammationib. quæ adhuc fiunt aperte purgationẽ mandat.

Siqui-

Siquidem, ait, iam febricitet æger, nec exercitatione, euacuatione euacuare exsuperantiam licet, nec vnctione, quæ excalefaciat, sed nec multa frictione, nec balneo: sed sanguinis missione vna cum inedia, vel purgatione aliqua. Idem in oculorum inflãmationib. paulo inferius se obseruasse itidẽ scribit. Siquidẽ ex his, q.b. oculi tentati inflammatione cœperant: nonnullos sola purgatione per aluum vna die sanatos fuisse. 14. eiusdem in Erysipelatis curatione purgationẽ primo est molitus his verbis. Tanq̃ igitur in illa post totius corporis euacuationẽ repellentib. auxiliis vsi sumus, ita nunc quoq; faciemus. Sed ꝓ sanguinis missione medicamẽto, ꝙ bilẽ trahat purgantes. Quid multis Gal. Hip. Auicẽnæ & reliquorũ & Latinorũ & Græcorum medicorũ principũ testimoniorũ allegationib. opus? Omnes ab initio corpus purgandũ iudicarunt, non digerendum. At πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά. Medicastrorum rugitus

eſt hic quotidianus, non intelligentiũ
mentẽ Hip. & aphoriſmi vini. Probãt
omnes Chymiatri etiã hunc aphoriſ.
eumq; exacte ſequuntur. Sit aluina re-
gio cacochymia obſeſſa. Hæc erit aut
cocta, aut cruda. Si cruda, pepaſmo e-
mendanda. Emẽdabitur aut tota, aut
pars eius. Si tota abibit in maſſam ſan-
guineam. Hic n. pepaſmi finis. Non
ergo digeſtiuo nec purgatione opus.
De parte eius cocta idem ſentiendũ.
Sequeſtrata altera itaq; erit ad locum
excretioni deſtinatum. Is non eſt vni-
uſmodi. Aluina receptaculum cõmu-
ne. Eſto eo depoſitum ſequeſtratione
naturali. Expurgandumne? Quidni?
Digeſtiuo vexandumne nouo? Quid
opus? Iam n. & pepaſmum & ſegrega-
tionem eſt paſſum naturę. Expurgan-
dum igitur. Eſto tamen digerendum.
Digeſtiuone? At omnis pepaſmus fit
natura eum procurante licet arte ad-
iuta. Digeſtiuo tali non adiuuatur. Sy-
natriſmo n. primitus eſt impedita &
obruta, vt potis nõ ſit quidquã moliri.
Ideo

ideo Hip. ineuntib. morbis 3. aphor. medicandū iubet, vigentib. quiescendū; natura n. tum pepasmū adit. Præstat tamē digestiuū purgationi. Quid digerēdum? Aut stercora, aut humores in prima corporis regione stabulātes. Tertium non datur. Stercora digestionē sui neutiquam indicant, sed duntaxat sui eductionem, aut si scybala fuerint, emollitionem. Hæc negant igitur digestiuum. Humores in ventriculo & partibus vicinis constituti, aut digerendi sunt, aut non. Digerendi, aut crassi erunt, aut tenues, viscidi vel lenti. Tenues incrassationem ad sui eductionem contemmunt, aptiores tenuitate & fluxibilitate sua, quam remorante crassitie affecti. Crassi itaque lenti, viscidi, incidendi, attenuandi, abstergendi. At non in omnium aluo eiusmodi humores stabulantur. Non ergo omnes digestiui indigentes. Sunto tamen viscidi, crassi. Attenuentur, abstergantur. Vtrunque fit, ut facilius educantur. Hic enim finis

istorum humorum digestionis. Quis credit vna digestiua exhibito digestionem effectam? Esto tamen facta digestio. Attenuatione humorum absoluta, amplior eorundem contingit effusio, dilatatio, & ad proxima loca distributio. Hinc dolores ventriculi, intestinorum, & distentio inflatioque hypochondriorum, eaq; mala, quorũ Rondeletius in praxi sua ex intempestiuo & inconsulto digestiuorum vsu euenientium facit mentionem. Mirũ tamen humores istos crudos ad excretionem ineptos digestione indigos esse, sunt in prima corporis regione locati, in loco excretioni destinato stabulantes amplo, & inepti ad expurgationem. Humores si sunt, proprium humorum habebunt, alioquin excidẽt definitione & natura humoris. Omnis humoris est ἀοριστικὸν esse. Si huiusmodi non est, humor non est habendus. Quod fluxile est, id omne ad expurgandum habile. Humores isti in prima corporis regione stabu-

lantes

antes ſunt ſua natura per ſe fluxiles. Ergo. Nullo itaq; digeſtiuo opus. Obganniunt. Fluida tamen reddenda ſunt corpora Hippocr. At prima corporis regione adeo tenaciter occupata ſtercoribus & colluuie varia infarta purgatione meabilis aluus reddi ſine turbis nequit, at digeſtiuo. Alterutro adhibito turbas & camerinam ciebis. Et eiuſmodi aluinæ regionis ſtatus minime indicat digeſtiuum, ſed lenitiuum, quod Chymiatri in crebro habent vſu, aut clyſteres emollientes, aut digeſtiuum vel lenitiuum eccoprotico iunctum. Hipprocrates victus ratione & balneis fluidum reddidit corpus, cur miſochymici eũ non conſectamini. Digeſtiuis veſtris nunquã nec Gal. nec Hippo. vſus. Nos diorta. Idem molientes inſtituto Hipp. edocti, quid criminis admiſimus. Verum miſochymicis cornicum oculos configere cupientibus, examinemus methodicam ſcilicet eorum curam cotidianam. Nobili melancholico decre-

tum fuit omnium primo Syrupus de pomis digestiui loco, insecutus Syrupus magist. rof. solut. &c. Sit digerendus humor melancholicus, Syrupo de pomis. Vbi stabulatur is? In ventriculo? Nonne in mesaræo? Vtique? At obstructione id laborat, qui ergo Syrupus de pomis ad succum melancholicum alterandum pertinget, obstructione aluina pręsente. Obstructio indicat sui expeditionem & de obstruentia. Eiusmodi non est Syrupus de pomis. At hoc est methodice curare scil. Galenice, Hippocratice. Quid pectoris affectibus vexati potare primitus coguntur decocta pectoralia, Syrupi pectorales, post demum purgandi. Attendite misochymici methodicam vestram curam. Pectorale medicamentum pectus respicit, ideoque pectorale dicitur. Digerendus humor ante expurgationem. Vbi restagnat? In pectore ais. At quod in pectore hæret vitiosi purgatione tolli nequit, negatis viis. Digeris ergo humorem

morem in aluina regione reſtagnan-
tem & pectoralibus, humore tamen
digeſtionis indigo in pectore hæren-
te. Decocta aperitiua lenitiua pari
ſtultitia eccoprotico & pharmaco
purganti præmittitur. Quid enim di-
gerent ea, aperientque aluo ſtercori-
bus obſeſſa & cacochymia obſtructi-
onis auctore non diminuta pharma-
co. Si tamen digeſtiuum anteire de-
bet purgationi omni, amethodiceq;
curant ſecus facientes, deſinant calu-
mniatores iſti aloes pilular. ſyrupos
catharticos, extract. cochliarum pri-
mo ægris offerre. Quod vt neutiquã
improbo, q̃a & Galen. noſter creber-
rime, primo hiera picra ſua eſt vſus,
non tam ad eductionem aluinæ fœdi-
tatis, quam attenuationem abſterſi-
onem viſcidorum craſſorumque hu-
morum; ita nec medicaſtrorum ſug-
gillandi facilitatem & recte facta im-
probandi procliuitatem ſuperbam
laudare poſſum, & κατὰ λόγον omnino
curatum, ſcientium, etiam affirmata
crudi-

cruditate aluina digerenda præparā daque, digeſtiuum purgante ſi Chymiatri copulauerint, aut illo miſſo eiuſmodi catharticum exhibuerint, quod non tam educendi, quam præparandi virtute polleat; quemad. Galeni Hiera picra celebratur fuiſſe.

SOLI DEO HONOS.

LAPIDIS PHILOSOPHICI VERA CONFICIENDI RATIO, GEMINO ERVTA TRACTATV:

OPERA

MARTINI RVLANDI PHILOSOPH. & Med. D.



E Collegio Musarum Paltheniano.

ANNO M. DCVI.



GENEROSO ATQVE ILLVSTRI DOMINO, DN. FERDINANDO KVEN, a Gelaſy, in Liechtenberg & Hartenaue, BARONI in Neolengenbach:

CAMERARIO HEREDITARIO Archiepiſcopatus Salisburgenſis:

tum

SERENISSIMORVM POTENTISSIMORVMQVE, ET ARchiducum Auſtriæ, & Ducum Bauariæ, Auguſtis. Conſiliario:

tum

Illuſtris Regiminis Straubingani

PRÆSIDI

MAGNIFICO:

DOMINO SVO OBSERuando ſubmiſſe. S.

Τοῦ χρυσοδοῦντος, *rogas, Perilluſtris Domine Baro, Domine humiliter colende,* τὸ τί ἦν εἶναι. *Hoc, ſi in rerũ natura, vbi propugnaculũ meum? Inquio. In auras ille euanidus dicitur diffugiſſe.*

Quorſum igitur eius tutamentum in nihilum redacti? At, inquies rurſum, acerrime eum propugnauit Ingolſtetterus. Aio, non tam ille acriter hunc pro virili, quam me problematice duntaxat, libereq; diſceptãtem, plusquam hoſtiliter nullo meo merito, oppugnare furibundus anniſus eſt. Argumentum victoriæ, dicis recte, perditæ. Oportet enim τοὺς φιλονείκους prius, quam herbã porrigant, ambubaiarum ritu, omne virus exſpuere, & tandem, nullibi hærentib. ſputis, euomere, quod diu pepaſmi expers occluſum cõtinebatur intus. At ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον ἐστι, ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν. Ferã ergo & ego conuitiatorem. Sed ne ſibi adeo ſapere videatur aduerſarius, veritasque ſophiſticationibus ſuis oppreſſa iaceat: ad examen lapidis Lydii reuocare dentem, euulſum licet radicitus, & in barathrum abiectum, iterato ſuperioribus annis operæ duxi pretium. Dedicabam & id ſupplementi G. V. tractandæ illius materiæ olim cum aliis auctori. At res Typographis auaris erat inuendita; Hedera itaque pingui opus non vendibili. Conieci itaque eam in librũ

primum

primum theoreticarum Exercitationum mearum, propediem in lucem venturum. Interea lapide Philosophico tantopere vobis desiderato, adhuc tamen in antro Trophonii latitante: Diascepsin hanc duplicatam, alteram ex patria bibliotheca depromtā, alteram vero a possessore lapidis sagaci accommodatam, in publicum produxi: G. V. quo studio suo, quo olim ferebatur tota in Alchemiam diuinam, remitteret nihil etiamnum: quin imo, principiis iam erutis argumentis, tum experientia solide confirmatis, alacrior opus aggrederetur: firma spe freta, se tandem obtenturam, ad quod tanto sudore, tantisque sumtibus hiabat, dedicaturus animo subiecte officioso. Multa quidem de lapide Philosophico leguntur, sed abstrusa atque perplexa. Apertiora hæc, nec nebulis ænigmatum Oedipi dignis obuoluta, qualia a Paracelsicis proferuntur. Quamquam ars obscuritatis haut videtur incusanda, manifestissimis vocibus phrasibusque notissimis licet explicata: ex voto quando non protinus succedit opus inceptū. Si vlla ars, Alchemia sane, accuratum in-

genium, induſtrium & circumſpectũ poſcit. Filios doctrinæ requirit, qui vocatione, benedictioneq; diuina & ſolerti natura præmuniti, ſacris chymicis legitime initiãtur, diſciplinæq; ſe tradunt, & in ea ita verſantur, vt & notitiam, & vſum præceptorum ſimul acquirant. Vnde non mirũ, tantæ potentiæ, auctoritatisque Magnates arti huic diuinæ inſudantes, oleũ & operã perdidiſſe hactenus omnem. Hoc n. quidquid eſt laboris, qui tamen labor artificis eſt admodum induſtrii, iis credunt, qui nullis catholicis præceptis artis informati, nullaque diſciplina, ſine omni deliberatione exquiſita, illotis, vt aiunt, manibus in obuium quoduis irruunt, nulla virtute aurifica dotatum, e quauis quoduis generare arte temere attentantes, perq; modos operarum vagantes imperite, ſtolideq; ſublimandum calcinare ſæpius inuadant, calcinandumq; vero ſubliment, accommodationemq; τῶν μηχανημάτων chymicorum generalium ad ſpecialia nihil variatura opinantes, ſuſque deque habent. Ideo ars etiam male audit, adminiſtrantibus eam imperitis impoſtoribus.

Quo quælibet ars excellentior, eo ſagaciores requirit cultores. Ciniflones tamen, fumiuendulique in hanc irrepere tam præclaram artem auſint? G. V. ab eiuſmodi male feriatis ſibi cauere probe nouit, in ſuam Vulcaniam officinam affabre inſtructam, teſtimonium artifici perito præbentem ſuo, eruditionis præclaræ, artificii Alchemiæ eximii, vſu ſumtuoſo cum vtilitate tamẽ coniuncto acquiſiti, induſtriæq; excellentis, non niſi artifices, auctorũ miniſtros non vugal-res, ſed arte iã initiatos, præſidente tamẽ G. V. admittẽs. Ego artifex quidẽ non ſum, eſſe tamen non poſtremus ſtudeo, DIVINA adiuuante Gratia. Vt ſtudium hocce meum probẽ, myſterium, ſummũ Alchemiæ artificiũ lapidis Philoſophici protuli elaborandũ. Sũmus artifex, cuius artificioſa manu volitatus lapis ille. Opus n. ſummũ. Ex opere autẽ commendatur artifex. At & artifex ex inferioribus operibus cẽſendus. Summus eſſe poteſt, q ex ſummis metallis lapidẽ euocat pfectiſſimiſq;, digerẽdo, ſoluendo, ſoluẽte claue Mercuriali, igne Philoſophico, non aqua ſtygia, nec aliis aduẽtitiis, cognationis

nihil ad perfectiora metalla habentibus. Quid autem magis affine auro argentoque Mercurio? Sed manum de tabula. Vale Perillustris Domine Baro, & me gratia prosequere, artemque chymicam fac semper feruere, impostoribus ad Garamantas missis. Ex musæo Ratisponæ 16. Ianuarii, Anno 1606.

G. V.

Subiecta mente
colens:

Martinus Ruland D.

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ

LAPIDIS PHILOSOPHICI NOVA.

Cap. I.

De generatione metallorum in ventre terræ.

OMnium rectę Philoſophantium eadem eſt opinio atque ſententia, cuncta Metalla, vapore ſulphuris & argẽto viuo generari, quẽ cum pinguedo terrę calefacta, aquæ ſubſtantiam adinuenerit aliquãtulum conglobatam, tandem tum virtute naturali, tum corporum cæleſtium radiis atque conatu cæli ſecundum puritatem aut impuritatem vtriuſque, aurum, argentum, cuprum, ſtãnum, ferrum & plumbum, corpora illa ſpecioſiſſima in venis terræ conſolidauit.

Cap. II.

De natura & arte.

SVnt autem duæ in hac mundi teſtu-

dine caussæ effectrices, natura videlicet & ars, natura quotidie nouas producit res atque generat. Ars vero illarum rerũ similitudines per conceptũ in se imprimens, naturæ vestigia lineationesq; miro modo prosequitur, ita vt si genium hominis in quibusdam aliquando non opituletur, ipsam naturam ab operatione sua palam est defecisse. Ars etenim naturam adiumento naturæ nonnũquam corrigit, supplet, & quodammodo (presertim in hac mineralium diatriba) superare videtur. Duo sunt Philosophorum genera. Quidam naturam duntaxat per se inuestigantes, virtutem ac potentiam, quam habent res sublunares, tum ab elementariis qualitatibus, tum a cælo & stellis, literarum monumentis tradidere, vt sunt Medici, & quidam alii, qui animantium naturas, arborum, herbarum, Metallorum, & lapidum preciosorum, descripserunt. Alteri quidam longe splendidiores, non solum naturam, sed ipsum deniq; naturæ

turæ arcanum eiusq; penitiora adyta sagacissime ac argutissime perscrutati, veriori vocabulo Philosophi nomen sibi vsurparunt. Et quia natura ex duobus sulphure & Mercurio, cuncta Metalla producit, nobisq; superiora corpora ex eisdem generata cum inferioribus reliquerit, certum est diligentes Physicos eadem ex tribus operationibus suis conficere, atque inferiora ad sublimitatem corporum superiorum deducere posse.

CAP. III.

Refellit opinionem quorundam in hac arte, & ponitur ars Philosophia vis paucissimis.

ET quoniam apud plerosque Philosophiæ Studiosos concessum est, ipsa metalla sulphure & argento viuo generari: Arbitrati sunt nonnulli sulphur & Mercurium (cum sint radix & materia) accipi deberi, & tantisper decoqui, donec in corpus Metallicum essent, congluti-

nati. Isti quidem, si profundius in naturæ sectuarium descendissent, ad huiusmodi stolidas opiniones neutiquam deuenissent. Quamuis etenim sulphur & Mercurius quodammodo metallorum materia ante primã coagulationem fuerint, modo tamen nõ sunt, cum ad aliam naturam sunt deducta: vnde relinquitur ex ipsis non posse fieri corpus metallicum: cum præsertim ignoretur vinculum, quo sulphur & Mercurius in debita ꝓportione conueniunt. Quare nõ sunt accipienda ea, sed potius id, quod ex ipsis est, veluti surculum & semen, quæ terræ omniũ parentis gremio & aluo cõmissa, & suæ naturæ alimento enutrita, luminisque solaris vibratione euocata, in speciem arboris & herbæ ad superficiem terræ debito tempore emergunt. Sic pari modo ars ea diuina semen e corpore perfectiori docet eximere, quod terræ nostræ per artem præparatæ immissum, & calore temperato in puluerem album aut rubeũ
iugiter

ugiter decoctum, inferiora corpora d naturam ſuperiorum traditur con-ertiſſe.

Cap. IV.

Quare Philoſophi hanc artem quæſierint, & quid eos ad hoc mouerit? ſoluitur.

CAuſſa aũt potiſſima quare priſci illi Philoſophi hanc ſcientiam in-lagarent, in ſpirationem Dei alacriter ſſerimus. Videntes etenim Philoſo-hi cunctas res vegetabiles animaleſ-que, tum ceteras res ſuo quodam ſpiri-u ſe multiplicare, & ſibi ſimile produ-ere, tranſmutationemq; fieri in hoc mũdo inferiori per aerem, qui longo empore ſingulas res corrumpere vi-leretur, eaſque alternis ſe motibus lterare; ſuborta eſt inter eos hęc quæ-tio: Quare vidilicet ſpiritus in metallis & lapillis pretioſis, non poſſit ſibi ſimi-e propagare, cum ex vno ſurculo mul-i coaleſcerent, & ex vno granello in-numera pene grana ſumſiſſent pri-

mordia. Decretum est tandem diuino oraculo spiritum eum crassiori materia cohiberi, qui si sublimatione quadã ad ignem secernatur, secretusq; conseruetur tanquam seminaria virtus, pter omne falsum, possit sibi simile propagare. Ex hoc cogitarunt Philosophi, corporibus inferioribus perfectissimi corporis lucem & nitorem inducere, cum inuenissent metallica corpora solum penes decoctionem aut maiorẽ aut minorem temperaturam dissidere, omniumq; metallorum Mercuriũ fuisse primam originẽ, cum quo metallicum Mercurium e corpore perfecto ipsum extrahẽtes, ad naturam primam reduxerunt: Quæ quidem reductio cum sit facilis & possibilis, conclusum est a Philosophis, transmutationem in metallis esse facilem, & fieri posse. Et cum corpus ad primam naturam reduxissent, primigenii Philosophi vbi sunt in fluxu cælesti, ne rursus metallum efficeretur, quod vel quale prius erat; deinceps naturam ipsam puri-

purificabant, immundum a mundo separantes, quo facto eam rem lapidem Philosophorum transmutantem vocitarunt; propter eius confectionem diuersæ operationes a diuersis Philosophis sunt inuentæ, vt compleretur artificio id, q; a natura esset relictum, cum natura ipsa semper prona sit ad sui ipsius perfectionem.

CAP. V.

SEd quia Philosophi eam peritiã miris verborum inuolucris figurarumque vmbraculis adeo obscure deuelarunt, vt non possit facile aliquid de ea extundi ingenii neruis: Dubitatum est a quamplurimis de Philosophorũ lapide, quid nam sit, & de quibus cõficiatur, cum a paucissimis nominetur. Quod si aures diligentissime arrigere velis, lapidẽ in duas secam⁹ partes. Primam eius partẽ solem terrenum dicimus, quod mihi tum prisci Philosophi tum neoterici & recentiores testimoniis suis liquido astipulentur in turba, sine sole terreno opus Philosophicum

non perficitur, cum omnes aſſerunt nullam tincturam eſſe veram ſine ære ſuo, quia in ipſo eſt ſulphur ſapientum puriſſimum, in quo natura ſagax continet ſementem ſuum. Et quemadmodum ſol viuaciſſimos & penetrantes radios in hunc mũdum elementarium diffundit & tranſuerberat: Sic Philoſophorum lapis ex auro ſolum, vt ita dicam) Phyſica operatione compoſitis in alia metalla ſe conſpergit, eaque ſibi virtute, colore, & pondere æquparat in perpetuum. Et quoniam in auro ſunt omnia metalla, aurum merito ante alia accipimus. Cum etenim aurum vel argentum create voluerimus, neceſſarium eſt ea accipere: Ex homine generatur homo, & ex arbore arbor, herba herbam parturit, & leo leonem. Cum quælibet res ſecundum ſuæ naturæ contemperamentum, quã complexionem vocant, ſibi ſimile generet ac producat. Veruntamen Philoſophi aurum vel argentum non creant, ſed natura operantis ingenio mũdificata.

CAP. VI.

SEcundam lapidis partem, Mercurium viuum dicimus qui cum ſit viuus, corpora ipſa perhibetur ſoluere, quia in profundo naturaliter adhæret eis. Hic eſt lapis ſine quo natura nihil operatur, vnde nobis Philoſophi conſulunt, vt non operemur niſi in ſole & Mercurio, quæ iuncta, lapidem Philoſophorum conſtituunt. Quis ergo Mercurium merita laude proſequi ſufficit, cum ipſe ſit ſolus qui corpora faciat mitia & tenuia, & qui tanta polleat poteſtate, vt ſolem ad naturã primam poſſit redigere? quam poteſtatẽ nulla res in hoc mũdo habere dignoſcatur. De ipſo Mercurio quidam ſic aſſerunt: eſt in Mercurio quicquam ꝙ quærunt ſapientes. Similiter; Mercurius ſolem foliatum deſtruit omnem, hunc ſoluit, mollit, animam de corpore tollit, ſi ſublimetur aqua vitæ tunc generatur. Si quis ergo ex te quæſierit qui nam ſint lapides? reſponde, ☉. ☽ & ☿ eſſe lapides Philoſophorum. Iſti

lapides ſunt mortui ſuper terrã, & ni-
hil operãtur, niſi q̃d induſtria hominis
eis adminiſtrarit. Audi ſimilitudinem
profundiſſimam de laude Mercurii:
cælum æthereum fuit omnibus homi-
bus occluſum, vt omnes homines ad
infernas ſedes deſcenderent & ibi de-
tinerentur perpetuo: ſed Maria virgo
humilima æherei olympi Ianuã ape-
ruit, etiã Plutonia regna patefecit, vt
eruerentur; cum in vtero virginali Spi-
ritu Sancto cooperante ineffabili Sa-
cramento profundiſſimoſq; myſterio
conciperet, quod erat excellentiſſimũ
in cœlis & in terra: & tandem nobis ꝓ-
genuit mundi vniuerſi Saluatorem, q̃
ſua exuberantiſſima benignitate o-
mnes peccato deditos ſaluos faciet, ſi
ſe ad eum cõuerterint. Manſit autem
virgo intemerata atq; illibata. Vnde
nõ immerito glorioſſimę virgini Ma-
riæ æq̃paratur Mercurius. Eſt etenim
Mercurius, quẽ habemus in Miropo-
liis, virgo candida, q̃ nunq̃ in viſcerib.
terræ aliquod corpus metallicum pro-
pagauit,

pagauit, & tamē nobis lapidem Philosophorum generat, ſoluendo cœlum, id eſt: aurum aperit, educitq; animam, quam diuinitatē intelligo, portatq; eā in ventre aliquanto tempore, & tandē in corpus nidificatum tempore ſuo tranſmittit. Vnde nobis puer, id eſt lapis, naſcitur, cuius ſanguine inferiora corpora tincta in aurum in cœlum ſalua reducuntur, & pmanet virgo Mercurius ſiue labe qualis ante fuerit vnquam.

Cap. VII.

QVare autem Philoſophi ſcientiam per ſimilitudines recentes allegoriaſq; obſcuras poſteritati & ſapiētiæ filiis commendauerint, præcipuā ponit cauſſam, Hamil in ſeniore, vt attribueret eā Deo glorioſo, q reuelaret eam cui vellet & phiberet eam cui vellet, etiā Raſis *in lib. luminum*, refert; Si enim omnia ſecundum q ſe habent enodare vellent, nullius vltra prudentiæ locus eſſet, cum inſipiens ſapienti æquaretur. Legitur etiam in fine

Turbæ: Niſi enim nomia multiplicarentur in arte, ſapientiam & naturam pueri deriderent. Ex quo illos nō magnifacimus, qui diuinam illam peritiā cauillantur eſſe adulterinam, a qua celeberrimi Philoſophi omnem omnium pene rerum noticiam tanquā olim a Polycleti ſtatua, ſtatuarii fabri artis ſuæ furta & organa ſolebant accipere. Abſurdiſſimum item eſſe opinari antiquos illos venerandæ auctoritatis Philoſophos in hac præſertim Diatriba aliquid falſitatis memoriæ prodidiſſe, qui ſummā operam veritati inquirundi ſemper accommodarūt: Licet ad fidei noſtræ ſalutiferæ ſublimitatem diuinæque eſſentiæ non adſcenderint. Quis ergo niſi zoilus, hāc ſcientiam non laudet, eamq; ſingulari fauore nō proſequatur? A qua cunctæ pene practicorum artes ſunt deprommptæ: a qua tot colores, arti pictoriæ multum idonei, cæpiſſent exordium. Taceo artem monetariam, taceo eruditā eam medicarū diſtillationem, quarū virtus

virtus(quam eſſentiam quintã vocant) ingenio mirabili elici ſolet. Quid de vaſis æneis dicerem, quibus fulmina & tornatio apud mortales citari ſolent? Si modo aduerſus Chriſtianæ fidei ſacrilegos hoſtes eis vterentur. Eſt præterea ſcientia lapidis adeo ſublimis atque magnifica, vt in ea tota natura, totaque rerum vniuerſitas, tanquam in quodam ſpeculo liquido conſpiciatur: habet ſe etenim inſtar mundi minoris. Vbi ſunt quatuor elementa & quintũ quod cælum vocant, in quo ſedem poſuit alia quædam eſſentia nobiliſſima, quã Philoſophi quidam omnipotenti deo, cum pace loquar, ſanctiſſimæ atq; indiuiduę trinitati ſoliti ſunt comparare, quæ nec ſit de natura cæli, nec de naturis elementorum, eamque nomine proprio animam mediam naturam appellarunt. Et quemadmodum Deus mundi faber, vbiq; adeſt in iſto mundo maiori: ita ea eſſentia, quæ Dei appellatione cenſetur, vbique eſt in toto mundo, hoc eſt vitro: propterea ſcien-

tiam hanc donum Dei esse vbiq; declamant. Et sicuti omnipotens Deus imensus est ac infinitus: sic ea res quasi innumera videtur in sui similis procreatione vsque ad finem extremum mũdi maioris, tunc enim natura generatiua ab omni re procreatili auferetur, ex quibus verbis naturæ peritus colligere potest, lapidem multas partes tingere posse, quibus etiam multę alię difficultates dilui possunt. Valeat ergo Aristarchus Theologus, qui diuinarum literarum interpretem fateri se non erubescat, & hanc peritiam, qua Deus magnificentius atque sublimius (post sacras literas) huic mundo contulit nihil, suis impudentissimis conuitiis non veretur incessere. Dic mihi per Deum immortalem, quid est iniquius, quam vt oderint homines quod ignorant, etiamsi res odium mereretur? Quid demum est stultius? quid abiectius, quæue maior est deliratio ac vecordia, quam eam damnare scientiam, in qua nihil prorsus olfeceris,

feceris, qui nec naturam, nec naturæ maiestatem, nec proprietatem nec occultas metallorum operationes vnquam didiceris? Blaterat identidem Iurisperitus ac forensis Rabula Philosophi osor maximus, qui ex miserorum lachrimis venalis linguæ malleo numismata sibi cudit, qui sacratissimos legum contextus præteriens, per ambages glossematum totum mundum suis dolis est persecutus. Sed quid derisores Samias & Satiras prosequar? maneant isti homines & istorum pedissequi in sua opinione perpetuo, qui nihil sapiunt quod castum, quod iucundum, quod denique seductum sit a vulgari disciplina: quique nihil inclitum ac celebre, sed quidpiam forsan gregarium Anigellis Cadmi filiis sunt consecuti. Ego hanc lapidis Philosophorum indaginem mihi familiarem selegi, eamque sæpius appello totius Philosophiæ occultæ, aut magis

haud quid ſuperſtitioſe, ſed naturalis Mineruam vnicam atq; margaritam præcipuam. Videtur tamen opinionē indoctorum longe degenerare a ſtudio meliori, quod a voluntate diuina decretum eſt & conſtitutum.

CAP. IIX.

LVbet nunc candide lector aliqua de natura e penu tum Philoſophico, tum Theologico in medium deponere, cum viderim multos e veteribus, tum e recentioribus ipſis, naturę indagandę multum inſudaſſe, quæ toti Academiæ atque paleſtræ Philoſophicæ vſui futura, nemo niſi mētis exſors, inficias ibit. Sed hic paulo altiꝰ repetenda ſunt naturæ cunabula. Non afficiaris ergo tædio ſi aliquando digreſſum fecero longius quam huius forte ſit inſtituti. Glorioſiſſimus Deus omniū rerum opifex & inenarrabilis auctor, ante mundi exordiū nullo indigus, ſed ipſe ſibi ſufficiens atque in penitiſſimo ſuæ diuinitatis ſacrario

ſemper

ſemper permanens exuberrima bonitate ſua, volens res ab æterno cognitas prodire in eſſe, earundem in principio eſſentiam quandam creauit crudis, vt ita dixerim lineamentis, ad viuū effigiatam, quam Moſes ille quem Philoſophię fontem ac primarium antiſtitem appellare libet, modo terram inanem & vacuam, modo abyſſum & aquam: Anaxagoras vero cahos confuſum, alii matrem mundi, fundamentum atq; naturæ vultum rite vocitarunt, in cuius gremio cum omnes res indiſcretæ atque indigeſtæ conſiſterent, neque formis propriis eſſent conſpicuæ, ſpiritu Domini interueniēte hunc mundū viſibilem, ſecundum mundi intelligibile exemplar & ſimilitudinem graphice & examuſſim excellentiſſimus conditor expreſſit atque deſcripſit. Hinc cælum ipſum in ſublimi ſuſpenſum rutilis ignibus faberrime decorauit, motumque eius & aſtrorum ita cōpoſuit & digeſſit, vt per aerem cæli mirabili ratione decurrerent ad efficiē-

das ſuccedentium ſibi temporum varietates vtque res inferiores motu ac lumine ſuo calefacerēt, fouerent, & in eſſentia conſeruarent, propterea res inferiores ſuperioribus vt ouum gallinæ fouendum, vt fœminam viro fœcundandam ſuppoſuit, quibus a primordio ſeminales quaſdam rationes inſperſit, vt ſeſe acceptis oportunitatibus perpetua, vt ita dicam, fœcunditate atque prole multiplicarent. Fabrefecit autem Deus hanc mundi compaginem harmonia quadam, atque muſica ſubinuicem proportione cognatam, vt quæ ſint in mundo ſuperiori, in inferiori ſint, ſed modo terreſtri, quæ itidem ſunt in inferioribus, etiam in ſuperioribus, viſitur modo quidem cœleſti & ſecundum cauſſam. Ad quod forte opinionem Anaxagoræ, ponentis quodlibet eſſe in quodlibet, applicare poſſes. Quare congruum eſt Deum cuncta moderari & implere quæ creauit. Nec tamen Deum omnia implere dicimus vt eum

conti-

contineant, ſed vt ipſa potius contineantur ab eo. Nec arbitrandum eſt ita Deum eſſe in omnibus, vt quæque res pro modulo ſuæ portionis eum capere poſsit, vtpote maiora maius & minora minus: Sed ita Deus omnia implet, vt non ſit aliquid vbi non ſit. Et ergo intelligimus eum intra omnia, ſed non incluſum, extra omnia, ſed non excluſum: Ideo interiorem vt omnia contineat, ideo vt exteriorem vt in circumſcripta magnitudine ſua omnia concludat. Quare Diuius Dionyſius ait, omnes res affirmare poſſe de Deo, cum ſit auctor omnium & gubernator. Ediuerſo omnes res negare de Deo verius quidẽ, cum nihil ſit de his quæ condidit, quod mihi etiam videtur eſſe gratius & certius, cum ob variabilem huius mundi decurſum, tum propter inſcrutabilem altiſsimæ diuinitatis abyſſum, poſuit Deus etenim maximum interuallum inter ſe & res creatas.

Eſt autem Deus, immenſus quidē & ineffabilis, inexcogitabilis, non intelligibilis, ſupra omnem imaginationem, ſupra omnem excogitatum, ſupra omnem intellectum, ſupra omnē eſſentiam, innominabilis, ſolum ſilentio prædicandus, potentiſſimus, ſapiētiſſimus, & clemētiſſimus, Pater, Verbū, Spiritus Sanctus, altitudo incomprehenſibilis, Trinitas impartibilis, eſſentia immutabilis, cuius imago eſt omnis natura, qui mentis eſt oculus, qui omniū creaturarum vnitas eſt atque cardo: Totus, omnis, atque vnus, qui eſt omni poteſtate validior, omni excellentia maior, omni laude melior, vt inquit Termegiſtus, quem Diuus Plato in ignea ſubſtantia habitare poſuit. Intelligens videlicet inenarrabilem Dei in ſeipſo ſplendorem, & circa ſeipſum amorem, quem alii ſpiritum intellectualem aſſeruere & igneum, non habentem formam, ſed transformantem ſe in quocunq; voluerit, qui ratione multiplici quodāmodo crea-

turis

turis suis annectitur. Rursus ea infinita sua æternitate & omnipotentia excedēs, feruido amore, sincera fide, & spe solida, mentibus hominem exspiatis insinuari possit. Diximus paulo ante Deum esse innominabilem quem ꝓprio nomine Arithimeticam, Martianus Capella salutasse dicit: cum septingentos, decem & septem numeros cōplicatis in eos digitis Iouem salutabūda depromeret. Sed quid ille nobilissimus numerus sibi velit eiusque in mēbra sua respersio, nouit Arithmeticus, non qui artem numerandi mercatoriam, sed proportiones inquirit, hoc in numero omnes numeros omnemq; proportionē tum mysticam, tum Geometricam comprehendimus vel deprehendimus. Adde aliquid magis arduum. Nomen Dei in his numeris offendi quam exactissime, cuius nomen Sacro sanctum & in æternum adorabile in hac temporis plenitudine quinq; literis IESVS adnotatur, cum tempore naturæ tribus, legis vero quatuor,

ſcriberetur. Dicimus prætera Deum̄ habere omne nomen, quippe cum omnia ſint in ipſo, & ipſe in omnibus, vt infra diſputabitur. Et tamen nullum nomen cum diuinæ maieſtati nõ poſſit nomen idoneum attribui. Quãtum autem myſterii atque neruorum numerus in ſe habeat, Pithagoricos belle calluiſſe facile crediderim, qui alium Palladem, alium denique virilẽ, alium fœmineum, alium Dianam, aliũ patrem, alium matrem nominabant. Aptaruntq; numeralis ſcientiæ cõſultiſſimi monadem opifici Deo, Diadẽ aut dualitatem materiæ, formis ipſis Triadẽ virginẽ, tum homini eiuſq; vitæ hexadem & heptadem, enneadem vero omnibus creaturis haud ab re pulcherrimæ accommodarunt. Ceterum vt ad inſtitutum redeam: Audi Dionyſium recitantem: Deum eſſe in omnibus, vel omnia eſſe in Deo, ſicuti numeri ſunt in vnitate, ſicuti in centro ſunt omnes rectæ lineæ circuli: Et ſicut membrorum vires ſunt in ani-

mia.

ma. Quando ſicut vnitas omnium numerorum communis mēſura, fons eſt & origo, omnemque numerum in ſe vnice coniunctum continens multitudinis omnis eſt principium, ſed omnis multitudinis inſors, ſemper eadē & immutabilis: ſic pari modo res creatæ ſe habent citra creatorem. Et quēadmodum humana anima ſubſtantia indiuidua rectrix exſtat ſui corpuſculi, & tota toti corpori, eiuſque cuiq; parti p̃ſens, ita ſimiliter Deus in hoc mūdo vbique eſt, eumque implet & moderatur, iugiterque conſeruat per virtutem, quam rebus quotidie de perenni fonte ſpiritus ſui impleuit liberalitate, vnde rite per quandam ſimilitudinem animæ noſtræ Deum ac Dei virtutem, qua omnes res ſuſtinet, animam mediam naturam aut animam mundi appellamus, non quod mundus ipſe ſit animal, quod a Chriſtianis Philoſophis veſtibulo partim in Methaphyſica Chriſtiana, partim in hac lapidis conſideratione

explodere licet. Sed illam filo orationis emunctiori contexere persuadet materiæ sublimitas, hic pedestri sermone incedere placuit, eamque mũdi animam pręcipue in sole collocamus. Nihil etenim est in ipso fundamenti circulo præter animam humanam, quod maiorem Dei similitudinẽ præseferat, quam ipsum lumen, cum quælibet res tantum Dei, vt ita dixerim, fila vendicet, quantum capax est luminis. Et cum nihil sit oculatius sole, multi ex Platonicis Orpheũ in hoc potissimum imitati, solem mundi oculum nominarunt, quoniam in eo tãq̃ in quodam limpidissimo speculo cuncta viserentur, atque sese ostenderent: Hinc Heraclitus Philosophus cuncta dicit noctescere, si solem e mundo sustuleris. Quid est nostrum corpusculum, si desit anima? Nulla ibi contrectatur vena pulsatilis, sentiendi nullum inest iudicium, nullus in eo vitalis halitus aut vlla spiratio. Quare etiam nonnullis visum est, solem cor cæli nũcupari,

cupari, quoniam, ſicut in corde viuus exſtat fons ſanguinis, cetera humani corporis membra humefaciens & irrigans, motumque vitalem infundens: ſic in ſole videtur eſſe omnium rerum tum inferiorum tum ſuperiorum vegetatio & conſeruatio, quoniam vitã & calorem inferioribus inſpirat lumine ſuo. Eſt autem lumen actus quidam ſimplex, cuncta ad ſe viuifico calore conuertens, cuncta permeans entia, qualitates eorum virtuteſque ducens per omnia & tenebras caligineſque diſpergens. Quare in medio reſidet Phœbus aurea coma micante tanquã Rex & Imperator mũdi, Sceptrum & gubernaculum tenens, cui omnes cœleſtium ineſſe virtutes, nõ ſolum Iamblichus, ſed & multi alii confirmarunt. Et inquit Proclus: ad ſolis aſpectum omnes omnium cœleſtium vires congregari in vnum atque colligi, quas tandem in hunc mundum inferiorem per eius ignem ſpiracula credimus diſſeminari. Hoc tibi etiam vel maximo

argumento esse potest sole ad nos vergente terram herbescere atque pubescere, abeunte vero deflorere. Sed de naturæ infantia nonnihil commentandi voluptate capior.

Cap. IX.

NAturam vim quandam esse rebus insitam similibus similia procreantẽ asserimus. Generat etenim natura cunctas res, auget alitque, quare omnium in se habet nomina rerum: Animal est a natura, lapis, lignum, arbor & corpora quæ vides, sunt a natura, eiusq; retinacula. Natura est ligamentum elementorum virtusque ea commiscendi, quę in qualibet re huius mũdi elementalis elementorum mixtionem efficit, formamq; suę speciei congruam impressit, per quam ea res a quauis alia re distinguitur atque segregatur. Nec est natura alicuius coloris, omniũ tamen colorum particeps & effectrix, nullius item ponderis nec qualitalis, omnium denique qualitatũ rerumq;

rerumq; fœcunda genitrix. Quid ergo est natura? Deus est natura, & natura Deus. Sic intellige: Ex Deo oritur aliquid proximum ei: est ergo natura ignis quidam inuisibilis, a quo Zoroastres cuncta esse genita docuit, cui Heraclitus Ephesus astipulari videtur: nõne spiritus domini, qui est amor igneus, cum ferebatur super aquas, indidit eisdem igneum quendam vigoré, cum nihil sine calore generari possit. Inspirauit autem Deus rebus creatis cum diceretur: (crescite & multiplicamini) quandã germinationem, id est, viriditatem, qua res sese multiplicarent. Vnde quidam profundius speculantes omnes res dicebant esse virides, cum omne viride crescere dicebant vel dicatur, coalescere, eamq; viriditaté naturã vocitabant. Sed Aristoteles inquit, ignorato motu ignorari naturam, cũ modo sit volatilis & in continuo motu generationis, augmentationis alterationisque, quæ tandem in extrema mundi calor stabilis erit atq; fixa,

quoniam tunc eam virtutem & generandi potentiam Deus omnipotens a rebus adimet, & in reconditiſſimo omnipotentiæ ſuæ Theſauro, vbi ab æterno erat, collocabit. Hanc ergo generandi virtutem rerumque conſeruationem naturam aut animam mundi notare (aliis vocare) libuit, non quod mundus ſit animal, vt Platonicæ rationes, & etiam Arologorum, Arabum, Ægyptiorum, Perſarumque teſtimonia comprobare videntur. Poſuerunt etenim Philoſophi mūdum eſſe animal, cœloſque ac ſtellas eſſe animalia, & animas eorum eſſe intelligentes, mentem participantes diuinam. Inſuper cuilibet rei Deum aut animam quandam præeſſe, omniaque diis plena eſſe Democritus & Orpheus, & multi Pythagoricorum ſunt opinati, quibus ſtatuerunt diuinos honores, preceſque & ſacrificia dedicarunt eiſdem & diuerſo cultu venerabantur. Præterea omnes eiuſmodi animas reducebant ad vnam animam mundi.

Simi-

Similiter Deos omnes ad vnicum referebant Iouem. Hoc Ariſtoteles Ariſtotelicuſque Theophraſtus, hoc Auicenna Algezeles, hoc Stoici omneſq; Peripathetici confitentur ac ſummopere comprobare ſunt conati. Hinc omnem gentilitas errorem, hinc Poetarum figmēta quædam ridicula, hinc diabolica ſacrificia inuolutioneſq; (vel inuocationes) ſacrilegas emanaſſe non ambigimus. Hinc eſt quod Ægyptia tellus animalia quædam ac alia monſtrifica portenta in lauariis ſuis coluit ac adorauit. Quis ergo Ethnicorum Philoſophiam vanam eſſe non dixerit, quæ iſto vulgatiſſimo errore aliiſque multis eſt miſerrime labeſactata, vbi mihi viſi ſunt Philoſophi bellis puellis, quam ſimilimi puteum magnum perforatis venulis haurire ſatagentibus, eos tamen venia dignos iudicamus, cum ipſis nondum illuxerit vera lux Ieſus Chriſtus Saluator noſter. Chriſtiani vero Philoſophi, cuius auctoritas grauior eſt certiuſq; iu-

dicium intereſt, quæcunque ad fidei noſtræ ſacramentum facere videntur, tanquam ab iniuſtis heredibus poſſeſſa ad Catholicæ Eccleſiæ ſeptum deduxere, Virgilii more, qui aurũ ſe colligere dicebat ex ſtercore Enniano, apicularum item more, dum ſuauioris himeti aut hyblæ flores generãdi mellis gratia exſuxerint. Quis modo intempeſtiuam Pici Mirandulani necẽ lacrymis non madefaceret, quem noſtris ſeculis Parcæ ſorores ſingulariter inuiderunt, qui ſi vitæ munere aliquandiu functus eſſet, laceram eam Philoſophiam atq; mendicantem ex cunctis erroribus nouo candore concinaſſet. Legitimã tamen Philoſophiã quiſq; ſumma laude decantet, cuius fundamentũ mundus eſt, aut natura, quæ mores & virtutẽ homini præſcribit. Quæ tibi lactãtes primæ lanuginis annos corrigit & vitæ lineamenta tuæ, quæ naturæ interpretationem & abſtruſarum ab oculis rerum inueſtigationem ſibi vendicat, digniſſima quidam

dam cui diuinarum & humanarum rerum disceptatio deferatur. Per eam mundi penetralia, terrasque tractusque maris cœlumque profundum, quantum possumus diuina gratia & naturali lumine perquirimus. Ipsa decernit cœlorũ astrorumq; innumerabilem multitudinem tum auricornuum solis iter triuiæq; labores. Hoc docet colias folles ventique susurras hippotates strepero quos donat ille suo: cur titubet terræ moles? Quid iridis arcum efficiat, canasque niues, rigidamque pruinam? Quid generet rorem, fulgur, quid concaua nubis vellera? Quid terræ gibbos, fulmenque trisulcum quid glomet imbres, vitrea? Quid grando, quæ sint auri, quæ semina ferri? vnde sona tonatio? vnde aquarum perennium fontes sibi sumant initia, & id genus alia multa? Eam Philosophiam perdiscant teneri iuuenes lactentibus annis, fabulasq; aniles Philosophorum vbiq; deuitent,

ponentiũ mundũ esse animal ipsumq; innumeris constare animalibus eisq; diuinis. Quid futilius? quid ineptius? quid etenim est dicere solem animatum, aliaque corpora esse animata, mentemque participantia diuinam, quam labi ad malam hæresin & abominabilem idolatriæ perfidiam? Neq; concedendum est diuo Augustino teste globos illos sidereos, quibusdam propriis animis viuere, eisque intellectualibus atque beatis. Ego scio certo, tantum esse animam humanam lucẽ diuinam, ad imaginem verbi, caussa caussarum primi exemplaris creatam substantiam, sigilloque Dei signatam, cuius character est Verbum ęternum, cuius quidem animæ participatam animam brutalem e materiæ gremio depromtam, subsistere credimus tenuem ipsius animæ rationalis similitudinem modicumque vestigiũ præsefe-rentem. Quemadmodum viuæ vocis echo imago est & simulacrum; Sic de anima vegetabili, si qua est, ceteri viderint,

viderint. Admittunt Theologi Doctores intelligentias orbium motrices, nõ quod ipsos orbes informent, aut sensibiles (iuxta S. Hieronymi sententiam) intellectuales ue reddant, sed vt assistãt eos mouẽdo. Et licet hi orbes possent esse diuina voluntate iubente propria rotatione volubiles, voluit tamen omnipotens Deus ex ineffabili bonitate sua huic mundanæ fabricæ secundas caussas præesse, vt qui cuncta seipso moueat, daret etiam ceteris mouendi potentiam. Non est tamen arbitrandum huiusmodi intelligentias ex necessitate voluendis sphæris accommodatas, quasi non possint esse proprio rotatu versatiles, cum quidam soliciti homines ex ęre aut aurichalco machinam eam cœlestem, consimiliter effingant in meditullio terram stabiliẽtes. Deinde consequenter cetera elementa orbesque siderum rotulis quibusdam affigunt, quibus Planetarum motus ad amussim conantur exprimere. Hinc capis errata cœlestis

imagine sphæræ Astrorũ motus multifugasque vias, solsticii colurus, defectus luminis, æquinoctia stelligeri lineamenta poli. Sunt alii scrupulosi homines, qui machinas horarias, tum molas quasdam molendinarias ponderibus suis libratas perpetuo versabiles fabricare nituntur. Quod si homo diuinam rationem æmulari potest, quis non existimaret corpora illa cœlestia virtute Dei posse rotari? sed quid de Astrologia noua docerem, quam Picus noster in omni disciplinę genere famigeratus superioribus diebus validis rationibus eneruauit, quas tamen Lucius Bellontius Senensis medicus exstirpauit? de his nihil ad propositum.

Cap. X.

QVem Philosophi quærunt lapidẽ, est spiritus inuisibilis & inpalpabilis, est tinctura & spiritus tingens, quẽ alter quidam visibilis atque palpabilis in intimis visceribus abdidit, ita pariter Philo-

Philoſophi eundem ſub ænigmatum velamine inexplicitum nobis reliquerũt, lapillus ille, eſt quintum a quatuor ſegregatus: eſt ligamentũ elementorũ mediũ & vinculũ, ꝙ elementa corporis fecit eſſe in concordia: & quod ſulphur & mercuriũ in aluo terræ in corpus metallicum compegit, & quaſi tale ligamentum, quod eſt in terra, cum ſit inuiſibile, haberi non poſſit, quæſierunt ipſum Philoſophi in corpore perfectiori. Petunt ergo Philoſophi eam naturam generatiuam, quæ metalla generare potuit, vt eã mundificẽt, & in tincturã reddant potentiorẽ, cẽties millies magis quã prius in natura prima fuerit, eamq; ignem viuũ, aut ignem naturæ, aut animam mediã naturarum vocabulo ſecretiori appellari cẽſuerunt. Et quẽadmodũ medici hominẽ in corpus, ſpiritũ & animã diſcriminãt, pari modo Philoſophi lapidem ſuũ in eas partes ſunt partiti. Modo ſpiritus eſt vita animæ, anima vita eſt ſpiritus. Rurſus illa duo ſunt vita corporis.

Etiam Spiritus est modus animæ & corporis & tanquam æthereus animæ currus, vehiculumque, quod virtutem animæ per totum corpus dissеminet. Poteris etiam intelligere cum Philosophi asserunt lapidẽ ex corpore Spiritu & anima constitui, quatuor elementa corporis. Aqua etenim est Spiritus, itidem aer, ignis medius (vt ita dicam) est Spiritus: Terram non Spiritum sed corpus dicimus, quoniam aliorum elementorum retinaculum est, mater atque sedes.

Cap. XI.

TAle autem ligamentum non potest facile haberi propter fortissimam ipsius auri cõpactionem, nisi p solutionem, quæ huius nobilis scientię fundamentum est & principiũ, in qua consistit totius naturæ arcanum maximum, ipsa est huius rei Thesaurus, ipsa est quę erigit pauperem de stercore & comparat eum Regibus & Principibus. Vnde quærunt Philosophi:

Quare

Quare ſoluantur corpora? Reſpondẽt ipſi: vt ſeparetur purum ab impuro: ad hoc etenim ſoluitur corpus vt terra ipſa in profundo poſſit mundificari, q̀ natura non potuit, quia ſimpliciter operatur, & in ea mundificatione deletur impedimentum tincturæ vt in millecuplo poſſit ſibi ſimile generare. Quod ſi fieri debeat ea ſui ſimilis propagatio per ſpiritum, cum omnis ſpiritus ſit generationis auctor & craſſiori materia cohibeatur, neceſſariam ſolutionem dicimus, per quam corpus viuum & volatile efficiatur, & vt primam, aut in primã, vt ita dixerim, ſimplicitatem reducatur, quod tandem habeatur ſulphur & Mercurius apud nos, e quibus in venis terræ metalla ſunt conglutinata. Perfecta autẽ ſolutio eſt, cum ſpiritum & animam ſeparaueris. Ad hoc dicimus te callere ſolutionem, quando coagulatum acquiſieris, ſed quando aurũ corpus eſt temperatiſſimum, æquales partes, calidi, frigidi, humidi & ſicci, ideo difficilius

propter hanc parem elementorũ concordiam corrumpi poteſt atque diſſolui: oportet ergo fieri diſcordiam in elemẽtis per contraria elementa & ea diſcordia corpus ipſum aperit ac ſoluit, quo pacto fit naturæ mundificatio, quæ non fit ſine Philoſophica elementorum ſeparatione. Elementa vero corporis ſeparari debent ita, vt natura generatiua maneat in flore & germine, quod ſi quis eum florem cõbuſſerit, atque elementa ab inuicem ſeparauerit, ſperma generatiuum facile perderetur, nec ea amplius poſſis coniungere, vt generent. Sed cum Philoſophi elementa ſeparant, naturam mundificare dicuntur, qua mundata elementa coniunguntur, quæ cõiunctio creat lapidem noſtrum diuinum. Hæc veriſſima omnium Philoſophorum conſideratio, ſi quis ſecus ex ꝓpria phantaſia conſideraret, ſtultus quidem eſt naturalis, quia contra principia naturæ falſo ſyllogizat.

CAP.

CAP. XII.

SVnt autem tres ſolutiones fili ſapientiæ in opere Philoſophico. Prima eſt crudi corporis: ſecunda terræ Philoſophicæ: tertiam in augmentationem ponimus. Sunt item in ſolutione hæc tria abſcondita, pondus, ſcilicet menſura temporis & ignis, quare ſi pondus Mercurii & auri, menſuramque temporis, quamdiu fiat ſolutio, atque ignem temperatum cognoueris, ſolutionem habes, quæ fieri debet in furnello ſecreto, & vitris paulo maioribus, vnde inquirendi ſunt diuerſi ignes, & tam variæ partes in vitris ponendæ, vt tandem diuina gratia dotatus eam offenderes. Oportet igitur in hoc pręclaro opere, dies, menſes & annos Philoſophorũ cognoſcere. Aſſerũt quidem te in tribus diebus naturalibus facere periculum, ſi bene operatus ſis. Quod ſi ingenio viuaciori fueris, aiunt te in viginti quatuor horis cognoſcere: Ipſi in Philoſophia duas

noctes & tres dies statuerunt. Obsecra Deum opt. max. vt diem vltimum rubeum videre dignus sies. Ponunt Philosophi similiter tres clauos, solutionē, videlicet, coniunctionem atque fixationem, aut si mauis tres separationes: Primo fit separatio animæ a corpore per spiritum: Secundo discrimina ipsa quæ sese in solutione ostenderunt ab anima & spiritu secernuntur: Postremo autem spiritus ab anima separatur, & hoc accidit in ipsa materiæ fixione, vt infra luculentius dicetur. Ego duas claues in toto Philosophiæ ambitu fideliter assero: Altera quidem, quæ corpus aperit, in varias claues potest distribui, quæcunque enim res corpora soluerit atque in spiritum reduxerit, quamuis vna duntaxat inter alias sit clauis potentissima, & naturalis Mercurius, scilicet, & talis res dicitur lapis: Altera quæ claudit & spiritum tingentem retinet & coagulat, terram solem dicimus, quē cuncti Philosophi principem lapidem nominarunt. Sed de

capite

capite corui dicimus, omnes Philoſophos modicũ pondus eius habuiſſe, quod miſelli Philoſophaſtri eam nigredinẽ quæ ex ſuperfluitate ☿ & corporis in ſuperficie appareret ſunt arbitrati.

Cap. XIII.

Tempus eſt nunc fili ſapientiæ calamum ad praxim conuertere, vbi quemque Philoſophiæ deditum inprimis monitum velim, omnia genera Salium, Alumnium, aliarumque rerũ peregrinarum & multarum vana eſſe, nec aliquid momenti aut efficaciæ prę ſe ferre. Similiter cunctas vulgares ſolutiones, elementorum ſeparationes, ſublimationeſque communes, eſſe labores adulteros, & nihil ad veram & naturalem Philoſophorum ſcientiam pertinere. Quare eos homines circũforaneos effugiendos cenſeo, qui totũ ferme mundum ſuis dealbationibus aut rubefactionibus deceperunt, in quibus nulla Philoſophiæ vena calet, quique potius Pſeudophiloſophi ſunt iu-

dicandi cum apud Philosophos nihil veritate sit antiquius, nihil deniq; turpius sit falsitate atq; deceptione: Philosophus autem nullus nisi verus sit atque bonus, nec auarus atq; ab ipso naturæ genio, ita vt in omnis disciplinæ geniis totus incumbat. Quo fit vt pauciores sint Philosophi quã credideris. Nunc in praxin descendimus, quam in duo partiemur opera. In primo erit mentio de solutione prima & separatione, tunc etiam de distillatione. In secundo agemus de coniunctione & fixatione; vbi etiam de augmentatione pulcerrima disputabo. Sed hic in vltimi gradus operis lubet interserere. Primo enim componimus, compositum putrefacimus, putrefactum soluimus, solutum diuidimus, diuisum mũdamus, mundatum vnimus, & sic complebitur opus. De his particulatim nostra laborabit oratio. Arbitrantur autem Philosophi in lapidis praxi non minus quam duodecimam mercurii partem accipi debere, etiam apud eos corpo-

corporis ſoluti periculum eſt, ſi per pellem eius fieret compreſſio, putabant itidem nonnulli e minoribus ſolutionem poſſe fieri tempore breuiori, ſi prius ſolius corporis per molam quandam, aut mortario fieret diuturna contuſio. Depuretur ergo Mercurius cum ſale communi præparato, aut alia quauis re idonea, vt eius ſubtiliſſima ſubſtantia haberi poſſit, huius aquæ purificatæ aliquot partes perbelle commiſceantur cum vna parte ſalis puriſſimi in phiala aut in tenues bracteolas ducti, & ponantur in ampulla vitrea longiori atque Sanctæ crucis ſignaculo obſtipata, & operiatur vitrum cineribus ad aquæ ſuperficiem, deturque ignis leniſſimus ne aqua aſcendere videatur, ſed viua apud corpus remaneat, & ſeruetur quaſi in trutina. Is calor æquilibris, quoad in aqua Mercurii ſuperexſudet terra quædam vaporoſa & ſubtilis, quæ in colore mirabili ſolet agnoſci,

quando ſit extrahenda. Fulget autem ſulphur ipſum iridis inſtar per aquas, non tamen ſecundum omnes eos colores, quemadmodum iris in hoc mũdo maiori. Stat ipſe iridis arcus medius in pura liquida & fluente aqua, & medius ſuper terram. Hinc tota ſulphuris proprietas eiuſque naturalis ſimilitudo per iridem exprimitur. Nec conſpicitur in cœlo iris, niſi ſole fulgẽte, quam pluuia ſolet ſuccedere. Venientibus autem nebulis aut nubibus opacis, Sol ipſe ſimiliter arcus iridis occultantur: irim Phyſicis ſic explicare placuit; quando imago ſolis aut lunæ humidam & cauam nubem denſamq; inſtar ſpeculi colorat, mediumque orbis eius interſecat, quod ad peritiam noſtram proprius videatur accedere: Non tamen eſt credendum ſulphur ipſum totum nigreſcere, cum ipſum extraxeris, ſicut nonnulli ſunt opinati, quo tandem extracto, aquam in qua eſt anima ſolis aut Mercurius auri metallicus diſtillabis calore lẽto 40. dies &c.

&c. vt inter guttam & guttam ſexaginta momenta aut circa recenſeri poſſunt, quoad cadit gutta, &c. Et vocatur aqua iſta, aqua noſtra viua quæ viuificat omnia noſtra corpora, & eſt ex duabus naturis compoſita, intellige ſpiritum animam ferentem, quoniam ſpiritus animæ ſedes eſt eiuſque retinaculum, & eſt aqua quæ extrahit aquam auri metallicam e corpore noſtro: Vocaturque hæc aqua acetum acerrimū, luna, fœmina, ſperma fœmineum, cœlum, Mercurius, & capilli rubei hominis, hoc eſt, ſolis. Sulphur vero dicitur corpus, ſol, maſculus, ſperma maſculinum, terra & Mercurius. Sunt autem hæ diſtillationes neceſſariæ, per quas purificatur Mercurius ab omni fæculentia terreſtri, & cadit Lucifer, hoc eſt immunditia & terra maledicta e cœlo aureo, per quem caſum crimina & ſordes ſeparantur ab anima. Collige hanc ſimilitudinem, cœlum, id eſt aurum, fuit in primordio purum, ſed cum ſolutum eſſet, oſtēdebat cor-

ruptionem: ergo primum malum in cœlo fuit, cum adhuc corruptio aut Lucifer esset, quo lapso cœlū est mundificatum, ita vt nullus Angelus iam e cœlo aureo labi possit, quod si Lucifer in se animam mediam naturam aut Deum habuisset, nullo pacto ad inferos detrusus esset.

Cap. XIV.

Restat nunc pars altera Philosophicæ praxis longe quidem difficilior, longe sublimior, in qua omnes ingenii neruos omnia denique mentis curricula multorum Pholosophorum elanguisse legimus. Difficilius etenim hominem reuiuiscere quam mortem oppetere. Hic Dei petitur opus, maximum quidem mysterium est creare animas atque corpus inanime in statuam viuentem confingere: putas ne? esse viuari ingenii animam ad spiritum, tum spiritum ad animam, rursus illa duo ad corpus reducere. In hoc

hoc noſtro opere ſcire conuenit, quantum ſpiritus, quantum animæ, & quantum ſit corporis. Porro quantum animæ mediæ naturæ ſit in ſpiritu & quantum in corpore, vt hic quaſi duas naturas ſibi congeneas atque cognatas indebita proportione coniungas: coniungere ergo debemus duas aquas; Sulphur auri ac eius Mercurium & corpus, Solem & Lunam, Maſculum & Fœminam duo ſpermata: Cœlum & terram duo argenta viua. Et ex iſtis duodus argentis viuis fit vnus Mercurius, ex quo dicunt Philoſophi ſolum lapidem conſtitui, quod miſelli quidam de Mercurio crudo ſunt hallucinati. Is vero Mercurius, eſt omnia metalla, maſculus & fœmina & monſtrum Hermophroditicum. In ipſo corporis & animæ matrimonio, quam ego ſolutionem & Philoſophorum putrefactionem vôco, terra ſolis propria natura ſpirituq; ſoluitur, q; in his ꝓpoſitionib.

deprehendas. Corpus degit in medio aere subtilissimo: corpus item propria caliditate ac humiditate soluitur. Vbi omnia media natura in colore nigredinis, vbique in toto vitro principatū tenet, quam naturæ ipsius nigredinem caput corni, salis nigredinem, vel salē nigrum prisci Philosophi vocitabant. Vnde quidam Philosophus hanc propositionem efferebat in medium: tres circulos circuiui, vidi tres soles in firmamento cœli habentes tres facies, solem videlicet nigrum, solem album, & solem rubeum: vocabatur etiam a nigredo omnium rerum nigrarum nominibus, postquam cuncti mundi colores qui ingenio perquiri possent, solēt apparere, qui tandem adalbedinem veram tanquam ad centrum & cardinem referuntur. In albo sunt omnes colores, & ex ipso cetera colorari videntur, album & nigrum sunt ex ipsa natura colores & quidem extremi, ex quorum multiplici se ad inuicē commixtione, proportioneque medios,

dios, quos dicunt colores ſuboriri credimus. Opinamur item ex albi & nigri confuſione quadam conflari rubedinem. Albedinem apparentem, vocamus lapidem album, ſolem album, lunam plenam, lunam calcinatam, argentum album, terram albam fructuoſam, mundificatam & calcinatã, calcem albam, ſal metallorum, corpuſque calcinatum, & aliis multis nominibus nuncupamus. Dicitur inſuper terra viua & ſulphur viuum atq; album, quando anima eſt introducta in corpus, & impedimentum, quod tu bene ſcis eſſe, remotum. Hic quæſtionem hanc ſoluimus: vtrum terra debeat eſſe aerea aut ignea, vtrumque ſimul dicemus, quod ſi ſolum ignea exſiſteret, combureretur in cinerẽ mortuum: Si autem tantum aerea, volatilis exſiſtens in tingendis metallis euaneſceret: ſed de igne quo fit terræ ſolutio, quid memorem? Vide calorem in terræ viſceribus, quam natura miniſtrat, vbi quaſi nullum videris com-

hendere, qui a calore ſolis inſtigatus in montibus metalliferis aſcendendo & deſcendendo multis cubitis vbique aquam ſpiſſiorem vna cum pinguedine terræ in corpus aſſociet atque coagulet. Et cum natura vix nonnunquam in quingentis annis, ſuas operationes efficiat, & nobis non ſit tributa tanta vitæ vſura, nec vltra elephantum, aut ad annum quem aiunt Platonis, detur viuere, Philoſophus igni gradum maiorem adtribuit, quo naturam ducem tempore breuiori æmuletur. Propterea cum ſingulari ingenii beatitate (vel bonitate) pollere iure dixeris, qui tibi ignem illius naturæ congruum poſſit oſtendere. Ignem ſuum naturalem Philoſophi balneum, aut fimum equinum, aut ſolem ſuum vocant, quem alii aut lichno aut alia quauis materia. Nos autem carbonibus, furnello, præſertim ad hoc aptato, conficimus: Solet præterea lapis in triplici vaſe fictili componi, quo lentior igniculus haberi

beri poſſit, calori inquam gallinę dum excubat oua, quam ſimilimus. Et eo calore: Draco id eſt, terra auri ſeipſum mortificat, quando elementa & ſpiritus de ſe dat. E diuerſo ſeipſum viuificat, quando ſpiritus rurſus ad ſe acceperit. Quare æquiparetur Ieſu Chriſto, qui ſeipſum morti pro nobis obtulit voluntariæ, & ſeſe poſtea per reſurrectionis gloriam propria virtute vitæ reſtituit, amplius non interiturus. Dicimus enim Draconem de ſe exſpuere omnem obſcænitatem & venenum, & poſtea imbibere & dealbari. Et quoniam ſupra cœlum cum terra debere coniungi diximus: oritur hæc quæſtio: An cœlum debeat deſcendere ad terram, vel terra aſcēdere ad cœlum. Certum eſt, terram non poſſe aſcendere niſi prius cœlum deſcēderet. Terra in cœlum ſublimari dicitur quando ſpiritu proprio ſoluto, tamen cum eo vna res efficitur, hac ſimilitudine ſatiſfaciam.

Filius Dei delapſus in vterum virginis ibique caro figuratus, homo naſcitur, vnitus Deo, qui cum nobis propter naturam ſalutem veritatis viam demonſtraſſet, pro nobis paſſus & mortuus poſt reſurrectionem in cœlos remeat, vbi terra, id eſt, humanitas exaltata eſt ſuper omnes circulos mũdi, & in cœlo intellectuali ſanctiſſimæ trinitatis eſt collocata: pariformiter cum ego morior, anima adiuta Dei gratia & meritis ad fontem vitalem remeat, vnde deſcendit: corpus in terrã reuertitur, quod tandem depuratum in extremo mundi iudicio anima e cœlo labens ſecum perducit ad gloriam. Ceterum quia congruum eſt animam ad cœlũ aſcendere. Aliud quoque dubium ſeſe ingerit, an videlicet ſpiritus cum anima tranſire debeat ad cœlum, vel an ambo manere debeant infra cœlum. Dicimus ſpiritum eſſe retinaculum animæ in hoc mundo: ſed cum lapis ad albedinem fixam peruenerit, erit alius modus priore longe nobilior, vbi

ſpiritus

ſpiritus manebit in medio, anima in cœlo, & corpus in fundo. Intellige terram eſſe cœlum animæ: e diuerſo animam eſſe cœlum corporis. Et quia ſpiritus animam in ſolutione labefecerit, ambo agunt pœnitentiam, & expiatur anima per ſpiritum, & ſimiliter corpus. Anima defæcata, ſola in cœlum conſcendit, & abit ſpiritus cum ſuis criminibus. Quod ſi is ſpiritus apud animã & corpus maneret, perpetua ibidem eſſet corruptio, & nec fieret elementorum recta concordia atque parilitas. Hũc ſpiritum angelo congrue in quibuſdam comparare poteris, qui cum anima humana (quando in punctum cordis medium, & exinde per vniuerſas corpuſculi partes infunditur) ſolet de cœlo deſcendere: Fingimus, dicentem ſpiritũ ad animam, ego ducam te ad æternam mortem ad inferos, & ad terram tenebroſam: cui anima, animæ mi ſpiritus, quare ad e im ſinum non reducis, a quo me adulando excepetis, credebam te mihi deuinctum ne-

ceſſitudine: Ego quidem ſum amica tua, ducamque te ad æternam gloriam: cui ſpiritus faciam certe: ſed miſer ego abire cogor, cum te ſuper omnes lapides precioſas conſtituero beatamque fecero: quare te obſecro, cum ad regni ſolium deueneris mei aliquando memor exſiſtas. Cui corpus tandem gratias agit innumeras, quod eſſentiam ſibi dederit excellentem p quam Deum tanquam in ſpeculo eſt intuitum, promiſitque ſe recordaturum, primaſque ei partes in regali ſolio congratulaturum.

Cap. XV.

DIximus in præcedente capite ſolem & lunam debere coniungi, credimus te ſapere quid ſol quid denique ſit ipſa Phœbe. Cinthia ipſũ Phœbum aperit, Phœbus lunam claudit; & coagulat in ipſo ſolis & lunæ coniugio. Hanc propoſitionem intellige: In vmbra ſolis eſt calor lunæ, in calore lunæ eſt frigus ſolis. Enimuero quando humidi-

miditas lunæ calorem & lumen a ſole acceperit, ſol in lunam intrare dicitur, quo intrãte incrementũ ſuſcipit luna, atq; incipit caleſcere, ſol vero frigeſcere & humeſcere, quoniam aquã ad ſe acceperit, & caliditatem ſiccitatemq; perdiderit, ex quo luminis exſors obtenebreſcit. Cũ autẽ luna in ſolẽ ieriit, ſol ipſe reuiuiſcere incipit atque fulgeſcere, quia lux ei redditur & luna ſplẽdore viduata gracileſcit & inũbrauit: vnde ſolis vmbram frigiditatem & humiditatem lunæ, vmbram vero lunæ diẽ aſſero. Deme ergo vmbram a ſole, & tota lux eius diſpergitur vbiq;. Non opineris lunam a ſole poſſe capere lumen vno horę punctulo, ſed paulatim & paulatim corpus ſoluitur. In principio quãdo ſoli Phœbe eſt cõiuncta, ab ipſo incenditur, qua incenſa paulatim ante noctẽ mediã fulgere conſpicitur, quãdo vero orbe toto plena exſtiterit, totã noctẽ ſolet nitore ſuo profũdere. Qua rurſus decreſcente, atq; a lumine hebeſcẽte, Phœbi calor vigere incipit,

vbi liquido cognoſces in luna quandò ſol fulgere debeat, ſi ſcriptorum meorum cutem deferens intruſam animo peruadas, licet & alio ingenio intelligi poſſit. Cum luna, hoc eſt lapis albus, citrineſcere aut rubeſcere cœperit, ſolis fulgentis eſt iudicium, principium rubedinis aurora eſt, auroram citrinã quis non diceret? Cithonia coniunx huic videtur eſſe mancipata muneri, vt aerem perorет atque rapidum Phaetontis iter luce prçuia demonſtret, vbi tandem filius Eous fundit occultatam Nabatheo cardine lucem.

Quod autem, vt ſupra diſputatum eſt, ſolem in lunam ire, deinde lunam in ſolem ſit neceſſarium, duo in cœlo impedimẽta intermedia offendimus, Venerem ſcilicet & Mercurium, quibus ablatis eorum mirabilis erit coitio: quia facta Luna non perdit amplius lumen ſuum, ſed lucebit luce propria. Et ſol identidem, aderitque dies vltimus mũdi priorum, poſtquam ſequetur alius mundus atq; alia vita, vbi erit

aut dies perpetuus apud ſuperos aut apud inferos vmbra perpetua. Deſcendetque ignis e cœlo, & rurſus ad cœlum aureum conſcendit.

Cap. XVI.

PLacet nunc fili ſapientiæ lapidem eum Philoſophicum ad portũ felicem appellere, age ergo remos, expande vela, da ventum celerem & ſecundum. Portus ſalutaris eſt petendus, poſtquam lapis noſter factus eſt albus, filium noſtrum generatum dicimus, & licet pure ſit perfectus homo in corpore & anima conſiſtens, non tamen eſt potens aliam prolem generare, quin prius ſuæ naturæ alimento nutriatur, donec ad ætatem generationi maturam perueniat. Accepimus a priſcis illis Philoſophis, qui ſola natura ſunt operati aquam ſuam viuã in partes duas eſſe partitã, qui cum ad albedinem fixam cum altera parte aquæ perueniſſent, eandem tamen altera

parte reſeruata, aut etiam ſolo igne rubefecerint. Alii in lapide rubeo, quia ad ſupremum gradum aſcenderit & per ſe augeri non poſſit, labores quos antea confecerunt rurſus ſunt auſpicati, ſoluentes eam rubedinem cũ altera parte aquæ reſeruatæ ipſum ad primam, ita vt dicam, eſſentiam denuo reduxerunt, laboraruntque pene in omnibus, quemadmodum a primordio, ſed maiori quidem tum ignis, tum laborum induſtria. Et hanc repetitionem veriorem aut maiorem augmentationem crediderunt, quare tempore prolixiori in lapide peragendo vſi ſunt primigenii Philoſophi, quem minores natu atque poſteri anni curriculo ſoliti ſunt abſoluere. Ea de re album lapidem, quo in lunã tingere velint ſpermate lunari per totũ, aut ei addendo alios ſpiritus albos, vim a Ioue aut Saturno per ſublimationes eductos, augmentarũt. Qui etiam lapidẽ albũ ſpermate ſolari a ſpiritibus aliis rubellis e Marte & Venere cum ſpiritu ſolis

a solis augmentando rubefecerunt. Et hinc ab re factum esse existimes, quando eiusmodi inferiora corpora multum tincturę tum aurum aut argẽtum in se habeant. Quod si perfectius ex eis corporibus exemeris, & corpori perfectiori addideris, totum effici perfectum non ambige. Et dicuntur huiusmodi corpora inferiora spiritus, cũ dicimus, solue corpus, id est, lapidem, & adiunge spiritus: vocantur itidem pueri, cũ dicimus, pueri ludunt cũ lapide, quãdo ipsum maiorẽ pondere ac virtute fecerint, vnde in aliis quibusdã laboribus vrinam puerorum quatuor annorũ scimus esse aq̃ quatuor inferiorũ corporum, quæ cum sit dicta aqua fortis Philosophorũ, aurũ soluere dicitur ex q̃b. lapidem quendã creari non imus inficias. Mineralem lapidem trifariã distinguimus: Philosophorũ lapis ex solo auro solaq; natura cõficitur, & is est sublimior, q̃ omnes ægritudines curare a Philosophis ꝓhibetur. Ali⁹ est quando sola radix & sulphur auri aut

argenti in ſuis ſpiritibus inferiorũ corporum augetur, vbi hæc pondera vnũ ad tria, vel duo ad ſeptem in minori Philoſophorum turba poſita diſcutiũtur, ſolo ſulphure indiges aut aureo aut argenteo. Ad ſulphur aureum tres rubelli ſpiritus, ad argenteum, tres albicantes ſpiritus reducuntur. Modo ſunt duo ſulphura & ſeptem ſpiritus, e quib. ille nouenarius numerus excreſcit, de quo plerique in hunc vſque diẽ ſtolide ſunt commenti. Tertium lapidem, omniũ metallorũ ſulphura cum ſuis ſpiritib. efficiunt. Lapidem partes innumeras poſſe tingere apud Philoſophiæ adſertores ita decernitur: quẽque ſpiritum eſſe multiplicabilem, ſed nullum corpus. Et cum lapis noſter factus ſit maxime volatilis totuſq; igneus, & eſt diuturna decoctione in igne enutritus, atq; per multiiugas ſolutiones & coagulationes ſæpius repetitus: Quidni? crederes eum lapidem innumeras partes tincturum, ſi emunctis naribus rationem naturæ eiuſque dotes mi-

tes mi-

tes mirificas introrſum olfeceris, quo plus enim ſolem album ſolueris, & iterato cōgellaueris, eo plus tinges. Quãto item plures fœminas vir acceperit, eo plures habebit proles. De quo q̃dẽ Philoſopus meminit ita: ſi tincturam dederis, tinges quantũ volueris. Quod etiam in granis frumentarii aut ſemine videre licet, cum ex vno genello multa producantur: ex quibus ſæpius repetitis optima ſeges ſolet exſurgere. Nec hoc minori argumento erit: ſi ſoli & lunæ prius coniunctis, pueros, id eſt inferiores Planetas addideris, & Planetæ ſunt domini mundi, qui totã hanc molem regunt. Quid refragetur? lapidem ex omnibus metallis cõpoſitum, totum mundum non poſſe tingendo rubefacere. Manifeſtum eſt enim de lapide ex ſolo auro, quoniam Sol aliorum Planetarum eſt dominus, qui ab eo fulgores capiunt aureos, e q̃bus elici poſſet tantum eſſe vnum diẽ, vnamque noctem tota ætate mundi. Rurſus ſeptem dies a ſeptem Planetis

eosque dies vnum diem, quoniam vnus est sol: splendor solis est dies, quo lucescente fugiet a te omnis ærumna atque calamitas.

Cap. XVII.

Pithagoras ille Samius cũ auditores ad collegium suum erudiendos acciperet, inprimis hoc præceptum eis tradidisse fertur, ne quid ex his, quæ in eorum scolis tractabantur, in vulgus emitteretur; quare auditores suos quinque annorum curriculo fecit obmutescere, vt neque interrogare præceptorem de his rebus, neque inter se differere liceret, morem secuti Pythagorei, tandem memoria labente cœperunt, ea quæ a præceptore didicerãt (cum de primis rerum principiis, tum de diuinis) literis demandare, ita vt secretiora, earum rerum medulla quasi in numerorum Sacramẽtis delitescerent. Quod etiam Platonem fecisse, qui per similitudines recedentes Mathematicasque figuras præceptiones

ſuas abſtruſerat. Inditio eſt eius epiſtola, quã de natura entis primi ad Dionyſiũ ſcripſit: ſcribendũ eſt (inquit) per ambages atq; ænigmata, vt ſi forte mari vel terra iactari librũ contigerit, qui legerit non intelligat. Hoc idẽ Poetis fabulãdi locum dediſſe arbitror, vt ne res ſublimes ad plebẽ ignobilẽ deuenirent, ſub fabellarum extraneo cortice ſuauiſſimũ ſuccum intus recõderent.

Legimus Ægyptios vt dogmata ſua haberent in ſanctuariis literis ignorabilibus, hoc eſt, quorundam animaliũ figuris ipſa occultaſſe, vtpote naturæ ſignaculum (ſi bene memini) vultus erat effigiatus: Draco in circulum ductus caudamque ſuam mordicans, anni currentis imaginem figurabat. Nonne quidam curioſiores cuique rei proprium caracterem adſcribunt, quo eius res occultior eſſet & annotatior. Eo fit vt priſci illi Philoſophi hanc diuinam artem ſub verbis obſcurioribus tradere cenſerẽt. Cauſſam in capite ſeptimo reperies. Quare putauerim

frugi eſſe, & operæ precium, ſi tibi tanquam Philoſophiæ filio quaſdam propoſitiones obſcuras explicarem, e quibus facilime alias tibi obiectas excudere queas. Dicunt Philoſophi lapidem ſuum vbique offendi in montibus & cauernis: ex ea propoſitione mihi male intellecta perſuaſi, omnes errores emanaſſe ad poſteros, qui in ſanguine, ouis, capillis, & ceteris rebus variis (aliis vanis) & extraneis ſunt operati. Eam ſic intellige, quemadmodum ſol ille cœleſtis vbique eſt in hoc mundo minori per radios ſuos, ita ſol noſter terrenus vbique eſt in toto vitro, hoc eſt, mundo minori. In montibus, hoc eſt, capite Alembici, & cœlo atque cauernis, hoc eſt in fundo vitri & terra. Dicunt lapidem naſci in duobus montibus, hoc eſt, in cœlo & in terra, vtpote in vitro. Præterea aſſerunt lapidem ſuum eſſe in omnibus rebus, hoc eſt, in omnibus metallis, quę ſunt eorum res. Lapis item eſt in omni re, hoc eſt, natura: & quia natura ſit totus mundus,
habet-

habetque omnia in ſe nomina, ergo lapis multa habet nomina, & dicitur eſſe in omni re, quamuis in vna ſit propinquior quam in alia, cum Philoſophi tãtum naturam generatiuam metallorum efflagitant. Vnde aiunt diuites, hoc eſt, perfecta corpora habere eam naturam generatiuam, & pauperes, hoc eſt, inferiora metalla. Eſt tamẽ perfectior & in igne permanentior in auro, aut in argento quam in ceteris. Etiam Philoſophi rem fixam & ꝑmanentem quærunt, quæ totum mũdum regat, ſolem & lunam. Vnde antiquitus, ſol mundi vocabatur, in quo eſt vita ad ſanandum omnia, qui diem motu ſuo efficit atque noctem, totumque mundum ſuo fulgore illuminat. Quare inquit, ego ſum lapis, vel in me eſt lapis. Dicunt Philoſophi, opus lapidis eſſe opus mulieris, & ludũ puerorum, mulier nonnunquam terra eſt, nonnunquam Mercurius, qui totum opus perficiat: pueri ludunt cũ lapide, hoc eſt, elementa tria cum ter-

ra: vel inferiora corpora ludunt cum lapide aureo aut argenteo, quando ipſum in fine augmentauerint. Similiter pueri ludunt cum lapide & proiiciunt, hoc eſt, ignari proiiciunt in fundo terram, quando ſublimationem fecerint. Compararunt aliqui Philoſophi opus lapidis creationi mundi ſimiliter generationi hominis, ac eius natiuitati. Poſteriores Philoſophi non ſolum hanc ſcientiam verbis recedentibus, ſed & imaginibus quibuſdam occultarunt.

Vidi ego depictam filo pulcerrimam virginem nudam, ętate viridem, coma eburnea, oculis fuſcis, albicantibus rubentibuſque genis, cuius papillæ erant lacteæ & admodum terretes, atque tornatæ: Eratque ea virgo toto corporis candore adeo inſignis ac omnibus naturæ dotibus adeo venuſte decorata, vt merito Regio thalamo digniſſima cenſeri poſſet, quam cuncti Philoſophi deperirent, qualem Venerem, aut Iunonem, aliam quamuis venu-

venuſtam puellam, aut iuuenculam Poetæ deſcribunt. Habebat autem ea Nympha in manibus pendulis faces duas ardentiſſimas, & ſub pede eius dextero lapis erat aureus. Et cuius gremio aureus quidam fons in multas venulas excurrebat. Sed leuo pede lapis erat argenteus argenteam de ſe aquam euomens. Depingebatur dextrorſum circa virginis faciem, Titan ipſe radiis ſuis vndiquaque ſcintillans: Altrinſecus vero depicta erant cornua Phœbes, ferebantur item hinc inde quædam auiculę, partim ad aera rurſum, partim ad terra deorſum. Poſt virginis tergum coaluiſſe vides arborem vitæ in horto paradiſi conſitam Artitrare, ſi modo eius gratiam ac viuicitatem dignoſceres.

Deſcribitur in Thiara Philoſophica, Hermes omnium Philoſophorum vir in Cathedra ſedens, ſuper genibus tabulas geminas ſeruans: in quarũ altera deliniabatur tũ globus Phœbus,

tum Phœbe corniculata, ſub quibus duæ aues in circulum ductæ mutuo ſeſe conglutientes conſiſtebant, quarũ altera ſuperior alata, altera ſine alis depingebatur. In altera tabula depicti erant tres circuli verſicolores, in quorũ meditullio erat imago lunæ, ad quam duo ſoles, alter radium vnum, alter radios duos eiaculabantur atque diuerberabant, volabantque circa Hermetis cathedram, nouem aquilæ habentes in pedibus arcus extenſos, e quibus ſagittæ pennatæ emittebantur in terram. Nonne ſcientiam lapidis? Vlmannus quidem diui Franciſci Ordinis frater minor artificio magno in ligua vernacula contexuit, atque per Ieſu Chriſti paſſionem, veriſſimam cõprobauit eſſe, vbi viſitur illa imago biformis, partim maſcula, partim fœmina, monſtrũ Androgynium, Imperatoriæ maieſtatis ſceptrum in manibus geſtans. Et pleraque id genus alia in Philoſophorum libris inueniuntur.

CAP.

CAP. XIIX.

QVod vero lapis omnes ægritudines curare queat, de his omnium Philoſophorum libri ſunt referti. Ratione tamen naturali id oſtendere ꝓ virili portione ſtudebo. Omnis natura eſt in ſole, & ſol in natura: ergo ſpritum eius aucupari poſſumus in omnibus & pręſertim in auro, & quando natura eſt ægrota, ille lapis ſanat naturã. In auro propagando, maximum conatum eſt cœlum. Similiter Sol ipſe & Iupiter. Sol quidem ei cunctas dotes ſuas indidit propter igneam eius virtutem atque ſplendorem. Iupiter autem quem vitæ patronum Medici vocant, temperantiã & elementorũ æqualitatẽ ei infundit. A b his dotibus adeo incorruptibile factum eſt aurũ, vt nullus ignis in eius ſubſtantia aut virtutẽ corrũpendo agere poſſit, ſed ipſum magis ratificat. Accedit ad hæc auri ſolutio, naturæque eius purificatio atque longa in igne enutritio, a quibus mirabilẽ & prope diuinam ſortitur operationẽ.

Quod si eo lapide in osculentis aut poculentis in pondere grani simanpis vesceres, vitæ oleum atque igniculum cœlesti suo vigore in æqualitate conseruaret, elementaque tui corporis in pace & fœdere colligeret temperaretque, quibus temperatis anima elemẽtis duaretur, & homo semper incolumis existeret, vsq; ad finẽ quam omnipotens Deus homini propter inobedientiam primi parentis instituit. In corpore Christi tanta erat affinitas elementorum, tantaq; colligatio, quia nulli c imini erat obnoxius, tamen ꝓpter mirabilem diuinæ essentiæ vnionem, quod nunquam fuisset naturaliter mortuus, nisi hominis redimendi gratia, propter quem & natus esset, voluntarie mortem oppetiisset. Age illi gratias perpetuas te creanti, te præcioso suo sanguine ab infernis sedibus redimenti. Te hoc tanto munere donanti, qua sanitatem, atque felicitatẽ vitam longam infelicitate transigeres propter quam præcipue lapis noster
est

est petendus. Taceo diuitiarum vbertatem quæ homini confertissime per hanc artem solet affluere. Aureum potum habes si in aqua vitæ in vino maluatico expressa aut alio quodam phalerno nobili lapidem eum solueris.

Cap. XIX.

MAsculinum precium foliatum ac limiatum accipe & compone cũ Mercurio in duodecima proportione, se habente ad preciũ. Deinde pone ad lentum ignem & continua quousq;. in Mercurio, corpora soluente superemineat sulphur natãs, quod extrahe, donec nihil corporis remaneat in fundo, tunc habes primam partem operis, habes etenim caput corui, q; est principium operis & fixum est factum volatile, puta corpus quod per medium Mercurii surrexit.

Secunda pars operis est. Recipe caput corui & pone in phialã sine aqua, tunc aquam corporis vel Mercurium,

in quo est anima corporis vel solis lena distillando. Hanc aquam iunge nigredini tuæ, & permitte vt multis vicibus hæc nigredo, id est, terra auri cum aqua quum surgat, tum deprimatur, donec nebula aut terra conceperit suum humorem vel aquam, qua concepta hoc sulphur nigrum est metallicum, quia aqua est metallica. Ipsa aqua inducit colores in hac terra multos ac varios, si ignis bene regatur, in fine inducetur color albissimus. Tunc enim volatilis aqua scilicet Mercurius est fixus, & est elixior ad album. Tertia pars est habita terra albissima, eandem forti igne citrinabis: Deinde vi ignis rubificabis donec deducatur in rubeam substantiam, sicut est corallus & est elixior ad rubeum.

Adhuc peritiam lapidis breuibus comprehendere lubet. Solue corpus, accipe terram, mundifica eam, sublima spiritum, coniunge cum terra, & habes artem, tum omni tempore quãtumcunq; ex igne necesse est habere

spiritum

ſpiritum & terram auri, ſpiritus tingit colore aureo, terra dat pondus aureũ, atque coagulat ſi altera careret, opus nihil efficeret. In terra auri, Philoſophi totum naturæ arcanum inquiunt delitеſcere, quare coagulum nominari ſolet cum dicitur, accipe coagulũ a corpore, & habes magiſterium. Similiter mundifica coagulum, & dele impedimentum, & tinges, ſed quia pãnus immundus terræ noſtræ comparatus, mundificari non poſſit abſque aqua: Sic terra noſtra ſine aqua non abluitur. Abluere eſt ſoluere, ſoluere eſt purificare. Aqua eſt Mercurius, ipſe eſt clauis, ſolum aperit corpus & albificat terrã, qua abluta recedit cum immunditia. Ergo te ſingulari eruditione vigere dixerim, ſi eum amouere poteris, ipſe eſt impedimentum & mors æterna, quare non ibit in cœlum, vt ſupra eſt inſigniter demonſtratũ. Amplius ipſa ſcientia nihil aliud eſt quam terræ aut naturæ purificatio. Nec terra a ſuis ſordidus defæcari poteſt, quin

FF

aquam ad se acceperit, & hoc totum ortum breuibus complectitur. Plura his similia per te ipsum diuina gratia poteris deprehendere. Lauda Deum per omnes chiliadum chiliades.

Cap. XX.

PHilosophus quidam nomine Ylafdus in prouincia Cathilonia has fecit quæstiones ad spiritum: Prima. Vtrum possit fieri Philosophorum lapis ad conuertenda corpora imperfecta siue metalla in solem & lunam igne iudice? Responsio. In auro sunt omnia metalla essentialiter cum suis terris in colore multiplici. Ex hac terra, cum essentia sua conficitur lapis, qui sua natura omnem immundiciam aufert & proiectis ad imperfecta ea fixat perpetuo. Quæstio. Quid & qualis est ea essentia? Resp. Est anima mediæ naturæ quæ permittit vnam formam conuerti in aliam. Quæstio. Quo pacto agit anima media natura? Respon. Omnes angeli homines aut dæmones non

non possunt introrsum per intellectus suos acutissimos vllo pacto eam videre aut comprehendere, quoniam hoc Dei ꝓpriũ est, qui suæ maiestati hanc reseruauit. Quæstio. Potest ne homo lapidem eum conficere? Respon. Quicquid Deus creauit proprietatem habens, possibile est homini vt in id agat: sed valde difficile est lapidem eũ conficere, tamẽ confici potest. Quæstio. Anima mediæ naturæ habetne corpus? Respon. Color auri est corpus animæ mediæ naturæ. Quæstio. Quo pacto potest color auri de auro corrumpi? Respon. Anima media natura cum calore suo & humiditate diuidit & coniugit ambo simul. Quæstio. Color auri est albus, aut magis niger, aut cuius generis? Respon. Est albus ad visum humanum, sed spiritui Chianæus. Quæstio. Quo pacto & e quibus fit color? Respon. natura facit eam ex pura terra & pura aqua. Quæstio. Est color in omnibus metallis? Resp. Non solum in metallis,

ſed etiam in omnibus elementis eſt color abſconditus. Quæſtio. Cuius virtutis eſt lapis? Reſpon: Depurare poteſt lapis omnia corpora metallica imperfecta ab omni lepra, vt ſint perpetua vſque ad iudicium extremum: corpora humana autē ab omni ægritudine vſque ad mortem naturalem. Quæſtio. Et quæ res eſt anima humani corporis? Reſpon: Eſt ignis viuus cœleſtis vitæ, & habet in ſe animā mediam naturam. Ab anima media natura, vocatur Deus creator omnium rerum. Quæſtio. Habuit ne Virgilius lapidem? Reſpon. Non ſolum ipſe habuit lapidem, ſed multi alii Philoſophi habuerunt eum & ſcripſerūt multifariam de eo obſcuris nominibus & multis operationibus. Quæſtio. Quare & quomodo appellatur lapis? Reſp. Et dico tibi, lapis eſt nomen eius, & nō eſt mihi data libertas aliquid manifeſtandi amplius cuiquā homini. Quæſtio. Quanto tempore poteſt lapis ad finem deduci? Reſp. Duodecim mē-

ſes ſunt

ses sunt necessarii, a primordio inceptionis: In triginta diebus terra ex Saturno generatur, vel natura terræ facit crescere Saturnum. In centum diebus crescit argentum viuum in aqua. In sexaginta diebus completis creuit aer ex Ioue. In aliis diebus anni crescit ignis a sole. In puncto anni anima media natura de cœlo descendit in hanc terram, & mortificat superiores & inferiores potestates. Imago multiplicis victoriæ ad consumendum bellum, in corde ventris eorum vsque ad ignis iudicium perpetuum. Non amplius dicam tibi.

TRACTATVS alter DE LAPIDE PHILOSOPHICO ANONYMI CVIUSDAM, lapidis Philosoph. possessoris.

CAPVT I.

De natura quidnam ea sit, & quales eius debeant esse scrutatores?

MVlti sapientes doctissimique viri, ante cõplura secula, imo Hermete teste, ante diluuium multa scripserunt de conficiendo lapide Philosophorum, & tot nobis reliquerunt scripta, vt nisi natura indies operaretur credibilia nobis, vix iam aliquis verum existimaret, esse naturã, quia superioribus seculis non tot inuẽtores rerum fuerunt: nec etiam antecessores nostri aliud quicquam considerarunt, præter naturã ipsam & naturæ possibilitatẽ: & quãuis illi in simplici tantum naturę via manserint, ea tamẽ inue-

inuenerunt, quę nos nunc in tot rebus versantes, vix nostris ingeniis potuissemus imaginari: hoc fit, quia nobis natura & generatio rerum in orbe iam vilis simplexq; videtur: & ideo ingenia nostra, non ad res cognitas, sed ad talia, quæ non, vel vix fieri possunt, intẽdimus: quapropter ita etiã nobis succedit, facilius excogitare res subtiles, & quas ipsi Philosophi nescirent, imaginare possumus, quam ad verum naturæ cursum & Philosophorũ sensum peruenire: & sic natura hominum cõparata est, vt ea quæ scit negligat, alia semper quærat, multo magis ingenia humana, quib. natura subdita est: exẽpli gratia, vides quemlibet artificẽ, cũ iam ad summam artificii sui perfectionem peruenerit, alia quærit, aut ea abutitur, aut plane desinit: ita etiam generosa natura, semper agit, vsque in ipsum iliadum, hoc est, terminum vltimum, postea cessat: nam indita est naturæ promissio quædam ab initio, vt ꝑ cursum integrum possit ad meliora

venire: & requiem habere plenariam, ad quam omni conatu tendit, & gaudet ſuo fine, non aliter, vt formica ſenio, cui in ſenectute natura creat alas: ita nimirum & noſtra ingenia, eo vſq; progreſſa ſunt, præſertim in arte Philoſophica ſeu lapidis praxi, vt iam fere in ipſum iliadum peruenerimus. Nam ars chymiæ eiuſmodi ſubtilitates nunc inuenit, vt vix maiores poſſint reperiri, & eatenus differt a veterũ Philoſophorum arte, pro vt faber horologiorum, a ſimplici fabro ferrario: & licet ambo tractent ferrum, nihilomnius neuter ſciret alterius labores, quamuis ambo ſint in ſua arte magiſtri. Si hodie reuiuiſceret ipſe Philoſophorum pater Hermes, & ſubtilis ingenii Geber cum profundiſſimo Raymundo Lullio, non pro Philoſophis, ſed potius ꝓ Diſcipulis a noſtris chymiſtis haberẽtur: neſcirent tot hodie vſitatas diſtillationes, & tot circulationes tot calcinationes aliaque innumerabilia artiſtarum opera, quæ ex illorum ſcriptis huius

huius ſeculi homines inuenerunt, & excogitarunt. Vnicum tantum nobis deeſt, vt id ſciamus quod ipſi fecerunt, lapidem videlicet Philoſophorum ſeu tincturam Phyſicam: nos dum illam quærimus, alia inuenimus & niſi ita vſitata eſſet procreatio humana, & natura in eo ſuum ius teneret, iam vix nō deuiaremus. Sed vt reuertar ad propoſitum: promiſi in hoc primo capite naturam explicare, ne nos a ſimplici via vera, vana deflectat imaginatio. Naturam igitur dico, vnam, veram, ſimplicem, integram in ſuo eſſe, quam Deus ante ſecula fecit, & ſpiritum ei incluſit: ſcito autē naturæ terminum eſſe Deū, qui & naturę principium eſt, ſiquidem nullum finitur initiū, niſi in eo, in quo incipit. Dixi vnicam eſſe tantum, per quam Deus omnia facit, non quod Deus ſine illa operari neſciret (ſiquidē ipſe naturam fecit & omnipotens eſt) ſed ita ſibi placuit, & fecit, res omnes ex illa natura vnica proueniunt, nec eſt in orbe aliquid extra naturam: &

quamuis aliquando abortus fiat, hoc non est naturæ, sed vel artificis vel loci vitium. Natura hæc diuisa est in loca quatuor, in quibus hæc omnia operatur, quæ apparent & in vmbra sunt, siquidem res potius in vmbra sunt, quã vt vere appareant: mutatur in mare & fœmina, & mercurio assimilatur, quia se iungit variis locis, & secundum terræ loca bona vel mala, res producit, licet non sint loca mala in terra, pro vt nobis videtur: qualitates autem sunt tantũ quatuor, & hæ omnibus insunt rebus, neque concordant, semper vna excedit aliam: natura autem non est visibilis licet visibiliter agat, nam est spiritus volatilis, qui in corporibus suum agit officium, locum & sedem suã habet in voluntate diuina, nobis hoc loco, ad nil aliud ipsa prodest, nisi vt eius loca sciamus, q̃ sint incõuenientiora & propinquiora, hoc est, vt sciamus coniungere rem rei, secundũ naturã, ne misceatur lignũ homini, aut bos vel animal metallo, sed quodlibet agat in

suum

suum simile, & tunc etiam natura suũ præstabit officium. Locus naturæ non est alius, quam vt supra dictum, in velle Dei. Scrutatores naturæ tales esse debent, qualis est ipsa natura, veraces, simplices, patientes, constantes, &c. & quod maximum, pii Deum timentes, proximo non nocentes: postea diligenter considerent, num propositũ suum cum natura cõcordet, an sit possibile ab exemplis, discant a parentib⁹, ex quibus videlicet rebus q̃d fiat, quomodo & in quali vase natura operetur: Nam si tu simpliciter vis aliquid facere, sicuti ipsa facit natura, sequere naturã: sin vero præstantius q̃d moliris, q̃ natura, id animaduerte in quo & per q̃d melioratur, & semper in suo & id fiet simili: exempli gratia, si cupis metallum, (quæ est nostra intentio) vlterius quã natura fecit, in virtute promouere, naturam accipere oportet metallicam, & hoc in mare & fœmina, alias nil efficies. Si enim intendis ex herbis creare metallũ, laborabis in vanũ,

ſicuti etiam ex cane vel beſtia lignum non produces.

Cap. II.

De operatione naturæ in noſtro propoſito & ſpermate.

NAturam iam dixi eſſe veram, vnicam, vbique apparentem, continuam, quæ cognoſcitur ex rebus productis, lignis videlicet, herbis &c. Dixi etiam ſcrutatorem naturæ eſſe oportere veracem, ſimplicem, patientem, conſtantem, vnicæ ſaltem rei animum applicantem, &c. nunc de naturæ actu incipiendum: ſicuti natura in Dei velle eſt, & Deus creauit illam, vel impoſuit omni imaginationi, ita natura fecit ſibi ſemen, hoc eſt velle ſuum in elementis: illa eſt quidem vna, & tamē res profert diuerſas, ſed nil operatur ſine ſpermate, quicquid ſperma vult operatur natura, nam eſt inſtar artificis alicuius inſtrumentum. Sperma igitur vniuſcuiuſque rei melius & vtilius eſt

artifici

artifici,quam natura ipsa:nam e natura sine spermate efficies tantum, quãtum sine igne, auro vel argento aurifaber,aut sine grano & semine agricola.Habito spermate, natura præsto aderit,siue ad malum siue ad bonum. Operatur illa in spermate, vt Deus in libero hominis arbitrio, & hoc est magnum miraculum, quod natura obedit spermati, non coacta, sed propria sponte, sicuti & Deus omnia concedit,quæ homo vult, non coactus, sed ex proprio velle:ideo homini liberum dedit arbitrium, siue ad malum, siue bonum. Sperma igitur est elixit cuiusque rei, vel quinta essentia seu perfectissima rei decoctio & digestio, vel sulphuris balsamum, quod idem est, quod humidum radicale in metallis: magnus quidem hic de hoc spermate posset institui sermo,sed nos tantum, ad propositum in arte chymica tendimus, quatuor elementa generãt sperma, voluntate Dei & imaginatione naturæ: quemadmodum enim viri

ſperma habet centrum, ſeu vas ſui ſeminis in renibus: ita quatuor elementa motu indeſinenti (quodlibet ſecũdum ſuam qualitatem) proiiciũt ſperma in terræ centrum, vbi digeritur & per modum emittitur foras: centrum vero terræ eſt quidam locus vacuus, vbi nil quieſcere poteſt: in excentrum (vt ita loquar) ſeu centri marginem & circumferentiam quatuor elementa ſuas proiiciunt qualitates, ſicuti vir ſuum emittit ſemen in vterum mulieris, in quo nil manet de ſemine, ſed poſtquam debitam matrix accipit portionem, ceterum eiicit foras; ſimiliter in centro terræ accidit, vt vis magnetica partis alicuius loci rem ad ſe attrahat, conueuientem ſibi ad pariendum aliquid, ceterum eiicitur foras, in lapides & alia excrementa: nam omnes res ex eo fonte habent originem, nec quicquam in toto mundo naſcitur, niſi per hunc fontem. Exempli gratia, habeatur in aliqua menſa plana vaſcu-

vasculum aquæ, quod locetur in mensæ medium, & circum circa ponantur res variæ, & colores varii, item sal &c. quodque separatim: effundatur postea aqua in medium, videbis illam aquam hinc inde diffluere, & dum riuulus vnus attinget colorem rubeum, rubefiet ab illo, si ad salem, salis saporem mutuabitur, & sic de ceteris. Aqua enim loca non mutat, sed locorum diuersitas mutat aquam. Simili modo e centro terræ semen vel sperma a quatuor elementis in centrum proiectum ad varia loca transit, & secundum loci naturam naturatur res, si peruenit ad locum terræ & aquæ purum, fit res pura. Semen & sperma omnium rerum est vnicum, & tamen varias res generat, vti e sequenti apparet exemplo: viri semen, est semen nobile, & saltem ad generationem hominis est creatū: nihilominus, si vir abutatur eo, quod est in eius libero arbitrio, nascitur abortus: Nā, si cōtra grauissimas Dei inhibitiones vir

iniret vaccam, aut aliam beſtiam, facile conciperet beſtia viri ſemen, quia natura non eſt niſi vna, & tunc nõ naſceretur homo, ſed beſtia & abortus, ſiquidem locum non inuenit ſemen ſibi competentem: tali inhumana & deteſtanda commixtione virorum cũ beſtiis variæ beſtię producerentur hominibus ſimiles. Ita enim fit, ſi ſperma intrat centrum, naſcitur, quod inde naſci debebat, ſed cum iam in locum venit & concipit, non amplius mutat formam: verum dum adhuc in centro ſperma eſt, æque facile ex illo ſpermate produci poteſt arbor, quã metallum, tam cito herba quam lapis, & vnus pretioſior altero, ſecundum puritatem vel impuritatem loci: ſed quomodo elementa ſperma generent, nunc nobis dicendum eſt, & hoc modo fit; elemẽta ſunt quatuor, duo ſunt grauia, & duo ſunt leuia, duo ſicca, duo humida: ſed vnum maxime ſiccum, & alterum maxime humidum, ſunt maſculina & fœminina, &c. Horũ

quod-

quodlibet per se est promtissimum ad producendum res sibi similes in sphæra sua, & ita voluit altissimus: Hæc quatuor non quiescunt, sed semper inuicem agunt, & quodlibet per se emittit suum subtile, ac in centro conueniunt. In centro verò est archæus, naturæ seruus, qui ea spermata miscendo eiicit foras. Quomodo autem id fiat in epilogo horum duodecim capitum copiosius videre est.

Cap. III.

De vera prima metallorum materia.

Prima metallorum materia duplex est, sed vna sine altera metallum nō creat: prima & principalis est humidū aeris caliditate mixtum, hanc Philosophi mercurium nominarunt, qui radiis solis & lunæ gubernatur in mari Philosophico: secunda est terræ caliditas sicca, quam vocarunt sulphur: sed quia omnes veri Philosophi hanc maxime occultauerunt, nos paulo lucidius illā explicabimus, pondus præsertim, quo

ignorato, omnia destruuntur: inde fit vt multi ex re bona producant abortus: sunt enim, qui totum corpus pro materia seu semine vel spermate sumunt, alii frustum, & hi omnes a recto declinant tramite. Exempli gratia, si quis viri pedem, & mulieris acciperet manum, & vellet ex hac commistione creare hominem, non esset possibile. Est enim in quolibet corpore centrum, & locus vel seminis seu spermatis punctũ, & semper 8200. pars, etiam in ipso grano tritici: & hoc aliter esse non potest: nam non totum granum vel corpus vertitur in semen, sed tantum est in corpore scintilla aliqua necessaria, quæ a suo corpore custoditur, ab omni excessiuo calore & frigore, &c. Si habes aures & sensus, hic animaduerte & securus eris, non tantum ab illis qui locũ spermatis ignorant, totumque granum in semen reducere nituntur, verum etiam ab his omnibus, qui in solutione metallorum versantur vana, & me-

talla

talla per totum ſoluere volunt, vt poſtea ex illorum commixtione mutua nouum creent metallum. At hi, ſi naturę proceſſum conſiderarent, viderent rem ſe habere longe aliter: nam nullum metallum eſt tam purũ, quod non habeat & ſuas impuritates, vnum tamen altero pauciores vel plures: ſed, tu amice lector primum obſeruabis naturæ punctum, vt ſupradictum, & ſatis habes: ſed hanc tibi habeto cautelam, ne in metallis vulgi illud quæras. In quibus non eſt: nam hæc metalla, præſertim aurum vulgi mortua ſunt, ſed noſtra ſunt viua, ſpiritum habentia, quæ omnino ſumenda: ſcito enim metallorum vitam eſſe ignem, dum adhuc in ſuis mineris ſunt, & mortẽ etiam ignẽ, fuſionis videlicet: prima vero metallorũ materia eſt humiditas quędã mixta ære calido, & eſt in forma aquæ pinguis adhærentis vnicuique rei puræ vel impuræ, in vno loco tamen abundantius quam in altero, quod fit quia terra eſt in

vno loco magis aperta & porosa, vim attractiuam habens, quam in altero: Prouenit aliquando per se in lucem induta veste aliqua, præsertim in locis vbi nō habet, adhærere alicui, cognoscitur ita, quia res omnis ex tribus principiis est composita, in materia vero metallorum vnica tantum sine coniunctione, excepta veste, vel eius vmbra scilicet sulphure, &c.

CAP. IV.

Quomodo metalla in terræ visceribus generantur?

PRoducuntur metalla hoc modo, postquam quatuor elementa virtutes suas proiiciunt in terræ centrum, Archæus distillando sublimat calore motus perpetui in terræ superficiem: Est enim terra porosa & ventus stillando per poros terræ resoluitur in aquā, ex qua res nascuntur omnes: sciant ergo doctrinæ filii, sperma metallorum diuersum non esse, a spermate rerum omnium, scilicet vaporem humidum: ideo

ideo fruſtra quærunt Artiſtæ metallorum reductionem in materiam primam, quæ tantum vapor eſt: Philoſophi non talem intellexerunt materiã primam, ſed tantum materiam ſecundam, ſicuti Bernhardus Treuiſanus optime diſputat, quamuis non ita lucide, quia de quatuor elementis loquitur, nihilominus id dicere voluit, & ſolummodo cum filiis locutus eſt. Ego vero, vt clarius theoricam detegerem, omnes hic præcauere & monere volui, vt tot ſolutiones, tot circulationes, tot calcinationes ac reiterationes ſinerent, nam fruſtra id quæritur in re dura, cum per ſe mollis vbique ſit, non prima ſed ſecunda tantum quęratur materia, talis nimirum, quæ ſimul ac concepta eſt, in aliam mutari formam non poteſt. At ſi quæras, *quomodo metallum in talem reducatur materiam*, ſequor in eo Philoſophorum intentionem: hoc tantum præ ceteris volo, vt filii artis intelligant, ſenſum ſcriptorum, non ſyllabas, & vbi natura deſi-

nat, in metallicis videlicet coram oculis nostris perfectis corporibus, ibi arti esse incipiendum. Sed vt ad propositũ reuertar, (siquidem hic non est intentio nostra de solo lapide) agamus nunc de materia metallorum: paulo ante dixi, res omnes nasci ex aere liquido vel vapore, quem elementa perpetuo motu in viscera terræ stillant, hunc postquam naturæ Archæus accepit, per poros sublimat, & vnicuique loco sua sagacitate tribuit (sicuti in præcedentibus retulimus) & sic locorum varietate res etiam proueniunt & nascũtur variæ. Sunt qui opinentur, Saturnum habere aliud semen: aurum quoque aliud: & sic consequenter Metalla reliqua, sed vana sunt ista: vnicum tantum est semen, idem in Saturno, quod in auro inuenitur, idem in Luna, quod in Marte, &c. Sed locus terræ diuersus fuit, si me recte intelligis: Quamuis in luna natura citius, quam in sole desierit, & sic de aliis: quando enim ex terræ centro sublimatur vapor

por, ille transit per loca vel sicca vel calida: si igitur transit vapor per loca calida & pura, vbi pinguedo sulphuris parietibus adhæret, vapor ille, quem Philosophi Mercurium Philosophorum dixerunt, accommodat se & iungitur illi pinguedini, quam postea secum sublimat, & tunc fit vnctuositas, relicto nomine vaporis, accipit nomen pinguedinis, quæ postea veniens sublimando ad loca alia, quæ iam vapor antecedens purgauit, vbi est terra subtilis, pura, & humida, implet poros eius, & iungitur illi, & sic fit sol: si vero pinguedo illa venit ad loca impura frigida, fit Saturnus: si vero talis terra pura sit & mixta sulphuri, fit Venus, & cetera. Quo enim magis depuratus locus est, eo pulchriora reddit metalla: nam sciendum est, quod ille vapor continue egreditur, ex centro ad superficiē, eundo purgat loca: inde fit quod hodie reperiãtur mineræ in locis, vbi ante mille annos

nullæ fuerunt: nam progressu suo semper subtiliat crudum, impurum, parũ successiue secum trahens: & hæc est reiteratio & circulatio naturæ: tam diu sublimatur, res nouas producẽdo, donec locus depuratur optime: & quo magis depuratur, eo etiam nobiliores res producit. Hyeme vero, cum aer frigidus terram constringit, congelatur etiã ille vnctuosus vapor, qui postea redeunte vere, vna cum terra & aqua miscetur, & fit magnesia trahens ad se sibi similem mercurium aeris, qui dat vitam omnibus rebus, per radios solis, lunæ, & stellarum, & sic gramen, flores, & similia profert: natura enim ne momentum temporis otiatur: metalla vero sic procreantur, longa destillatione purgatur terra, postea accessu pinguedinis ea generantur: alio modo non proueniunt, sicuti quorundam Philosophorum scripta sinistre interpretantium, vana opinio est.

CAP.

CAP. V.

De generatione lapidum omnis generis.

LApidis materia eſt eadem, quæ & aliarum rerum, & ſecundum locorum puritatem hoc modo naſcuntur. Quando quatuor elementa ſuum vaporem ſtillant in terrę centrum, & Archæus naturæ eundem eiicit & ſublimat, hic, dum tranſit per loca poroſaq; terræ, trahit ſecum omnem terræ impuritatem vſque in ſuperficiem, quem poſtea congelat aer, nã quod aer creat purus, aer congelat crudus, quia aer in aerem habet ingreſſum, & ſe iungunt inuicem, nam natura natura lætatur, & ſic fiunt petræ & montes lapidei, ſecundum magnos & paruos poros: & quo maiores terræ pori, eo etiam melius purgatur locus: dum enim per tale reſpiraculum maior caliditas, & aquæ maior quantitas tranſit, eo citius depuratur terra, & ſic poſtea in eiuſmodi locis commodius metalla na-

ſcuntur; ſicuti & ipſa teſtatur experientia, vt aurum non alibi, niſi in mõtibus quæratur & reperiatur, quod in planitie, niſi raro, fieri nequit: nam ſæpiſſime talia loca humida ſunt, non vapore ſed aqua elementali, quæ ad ſe trahit vaporem illum, & ita ſeſe amplectuntur, vt non facile ſeparentur, poſtea ſol cœli digerens illam, facit argillam pinguem, qua figuli vtuntur: in locis vero, vbi eſt arena groſſa, & vapor non habet ſecum pinguendinē, vel ſulphur, herbas & gramen in pratis creat: ſunt & alii lapides pretioſi, vt Adamas, Rubinus, Smaragdus, & reliquæ gemmæ generantur omnes hoc modo: quando vapor naturæ per ſe ſublimatur, ſine acceſſu pinguedinis, ſulphuris, & venit ad locum aquæ puræ ſatis, fiunt Adamantes, & hoc in locis frigidiſſimis, ad quæ non poteſt peruenire pinguedo illa, quia pinguedo non permitteret iſta. Sciendum enim eſt, quod ſpiritus aquæ facilime

ſubli-

ſublimatur calore facili, ſed oleum ſeu pinguendo, non niſi magno eleuatur calore, & in loca calida: etiamſi enim ex centro progrediatur, leui congelatur frigore & ſic ſubſiſtit: vapor vero ad loca debita aſcendit, & congelatur in aqua pura in lapides granulatim. Quomodo vero in gemmis calores fiant, ſciendum eſt, illud ratione ſulphuris in hunc modum fieri: ſi ſulphuris pinguedo congelatur motu illo perpetuo, poſtea Spiritus aquæ tranſeundo digerit, & purificat illud vi ſalis, donec colore digeſto rubeo vel albo coloretur, qui color tendens ad meliora cum illo ſpiritu quia ſubtiliatus eſt, tot reiterationibus deſtillatis eleuatur cum ſpiritu, ſpiritus poſtea habet potentiam intrandi res imperfectas, & ſic introducit colorem, qui poſtea iungitur illi aquæ tunc partim congelatæ, & ſic implet poros eius, & fixatur cum ea fixatione inſeparabili. Congelatur enim omnis aqua calore, ſi eſt ſine ſpiritu,

congelatur frigore, ſi habet ſpiritus: ſed qui ſcit congelare aquam calido, & ſpiritum cum ea iungere, certe rem inueniet milleſies pretioſiorem auro, & omni re. Efficiat igitur, vt ſeparetur ſpiritus ab aqua vt putreſcat, & appareat granum, poſtea reiectis fæcib⁹ reducat ſpiritum ex alto in aquam, & faciat coniungere ſimul: illa enim cõiunctio generabit ramum diſſimilem forma parentibus.

Cap. VI.

De ſecunda Materia & putrefactione rerum.

DIximus de prima materia rerum, & quomodo naſcuntur res ex natura ſiue ſemine, hoc eſt quomodo natura ab elementis accipit materiam, ex qua generat ſemen: nunc vero de ſemine & rebus generatis ex ſemine ſermonem inſtituemus. Omnis res habens ſemen, multiplicatur in eo, ſed abſque naturæ auxilio non fit: ſemen enim nihil aliud eſt, quam aer congelatus

gelatus in aliquo corpore, ſeu vapor humidus, & niſi hic reſoluatur calido etiam vapore nullius eſt vſus. Sciant ergo inueſtigatores artis, quid ſemen ſit, ne quærant rem, quæ non eſt, & ſciant illud eſſe triplex, quod ex quatuor elementis productum eſt: primum eſt minerale, de quo hoc loco ſermo eſt: alterum vegetabile: tertium animale. Minerale ſemē a Philoſophis cognoſcitur: vegetabile commune ac vulgare eſt, vt videmus in fructibus: animale ex imaginatione cognoſcitur: vegetabile nobis oſtendit, quomodo natura creat illud ex quatuor elementis; ſciendum enim eſt, quod hyems eſt putrefactionis cauſſa. Siquidē ſpiritus vitales in arboribus congelat, & quando hi calore ſolis (in quo eſt vis magnetica omnis humiditatis attractiua) reſoluuntur, tunc calor naturę per motum excitatus, pellit ad circūferentiam vaporem aquæ ſubtilem, qui poros arboris aperit & guttas ſtillare facit, ſemper purum ab impuro

ſeparando: præcedit tamen interdum purũ impurum; purũ dat & congelatur in flores, impurũ abit in folia, groſſum & ſpiſſum in corticem, arboris cordex manet fixus, folia cadunt frigore vel calore quando obſtruuntur pori eius, flores cõgelantur in tali colore, qualis eſt ipſi calor, & adfert fructũ vel ſemẽ, veluti pomum, in quo ſperma eſt, ex quo nõ naſcitur arbor, ſed in illo ſpermate eſt ſemen vel granum intrinſece, ex quo etiam abſq; ſpermate naſcitur arbor: nam multiplicatio fit non in ſpermate, ſed in ſemine: ſic ocu-lariter videmus naturam creare ex quatuor elementis ſemen, ne nos in hoc fruſtra occuparemur: nam quod creatum eſt, creatore non indiget: hoc exempli loco, lectorẽ admonuiſſe ſufficiat, ſed ad ꝓpoſitũ minerale redeo: ſemen minerale vel metallorum creat natura in viſceribus terræ, propterea non creditur tale ſemen eſſe in rerum natura, quia inuiſibile eſt: at non eſt mirũ, ꝙ ignari dubitent, ſiquidem id,

quod

quod præ oculis eſt, non percipiatur ab illis, multo minus iſtud, quod inuiſibiliter abſconditum eſt: ſed veriſſimũ eſt, ꝗ ſuperius nõ eſt, niſi vt iſtud ꝗ eſt inferius & vice verſa: id quod naſcitur ſupra naſcitur ex eodem fonte, ſicuti illud quod infra in terræ viſceribus: & q̃ prærogatiuã vegetabilia prę metallis habent, vt Deus illis ſemen inderet, & hæc im̃erito excluderet? none eiuſdẽ dignitatis metalla apud Deũ, cuius & arbores? Hoc ꝓ certo ſtatuatur, nihil ſine ſemine creſcere, vbi n. nullum eſt ſemẽ, res eſt mortua: Neceſſe eſt ergo, vt vel quatuor elementa creent ſemen metallorũ, vel ea ꝓducãt ſine ſemine: ſi abſq; ſemine ꝓducuntur, tunc ꝑfecta fieri nõ poſſunt, ſiquidem res omnis ſine ſemine imperfecta eſt, ratione cõpoſiti: qui huic indubitatę veritati fidẽ non adhibet, non eſt dignus, vt natura ſecreta ſcrutetur, nil enim in orbe naſcitur, ꝗ ſemine deſtituatur. Semen metallorum vere & realiter ipſis eſt inditum. Generatio autem eius ita fit.

Quatuor elementa in prima operatione naturæ stillant per Archæum naturæ, in terræ centrum vaporem aquę ponderosum, qui est metallorum semen, & dicitur Mercurius propter eius fluxibilitatem, & vnius cuiusq; rei coniunctionem, non propter essentiam assimilatur sulphuri, propter internum calorem, & post congelationem est humidum radicale. Et quamuis corpus metallorum ex Mercurio sit procreatum, quod de Mercurio Philosophorum intelligi debet, tamen hi non sunt audiendi, qui putant Mercurium vulgi semen esse metallorum, & ita corpus loco seminis accipiunt, non considerantes, quod & dictus vulgi Mercurius, suum in se habeat semen. Errores omnium horum e sequenti patebunt, exemplo manifestum est, q̀ homines habeant semen, in quo multiplicantur: hominis corpus Mercurius est, sed semẽ occultum est, in corpore & ratione corporis quantitas in pondere exigua: qui igitur hominem gene-

generare vult, nõ Mercurius, qui corpus est, ſed ſemen vapor aquæ congelatus accipiatur: ſic in regeneratione metallorum ſiniſtre proceditur a vulgaribus chymicis: corpora metallica ſoluunt, ſiue Mercurium, ſiue aurum, ſiue Saturnum, ſiue Lunam, & corrodunt illa aquis fortibus, & aliis rebus heterogeneis, ad veram artem non requiſitis, poſtea coniungunt, & ſimul coquunt, neſcientes quod ex corpore humano diſſecto non generatur homo, quia corruptio corporis & ſeminis deſtructio hoc pacto præceſſit. Vnaquæq; res in mare & fœmina multiplicatur, vt in tractatu de duplici materia mentionem feci: diuiſio ſexus nil creat vel producit, ſed debita illius coniunctio profert nouam formam: ſemina vel ſpermata ergo non corpora ſunt accipienda. *Reſp.* Ergo marē viuum, & fœminam viuam, hos coniunge ſimul vt inter ſe imaginentur, ſperma ad procreandum ſuæ naturæ fructum. Primam enim materiam ne-

mo mortalium credat se facere posse: prima materia hominis terra est, & nemo hominũ ex illa hominẽ creare potest, solus Deus hoc scit: at e materia secunda, quæ iam creata est, si in locũ debitum posita fuerit, facile natura operante generabitur id, cuius formæ semẽ est: artifex hic nil facit, nisi vt sciat subtile a spisso separare, & in vas imponere debitum: nam hoc considerãdum est, prout res incipitur, ita finitur: ex vno fiunt duo: ex duobus vnũ & nõ vlterius. Vn⁹ est Deus, ex hoc vno Deo filius est natus: vnus dedit duo, duo vnũ dederunt Spiritum Sanctum ab vtroq; ꝓcedentẽ, sic factus est mundus, & sic erit finis eius. Considera priora quatuor puncta exactissime: habes in illis Patrẽ, Patrem & Filiũ, vltimo S. S. habes quatuor elemẽta, habes quatuor luminaria, duo cœlestia, duo cẽtralia, nil amplius est, fuit, & erit, q̃ in hac figura patet: si deberẽ omnia mysteria hinc elicienda cõsignare, magnũ orietur volumẽ: redeo ad propositum, & tibi

tibi dico verum, fili mi, non creatur ex vno vnum, quia hoc solius Dei est propriũ, sufficiat te posse ex duobus creare vnũ tibi vtile: scias ergo sperma multiplicatiuũ esse materiã secundã, & nõ primã. Prima enim materia rerum nõ videtur, occulta est in natura vel in elementis, secunda vero interdum filiis doctrinæ apparet.

Cap. VII.

De virtute secundæ materiæ.

SEd vt facilius possis comprehendere qualis sit hæc secunda materia, virtutes ex quibus illam cognosces, describam tibi: ac primum scias, quod natura in tria regna diuisa est: duo sunt regna, quorum quodlibet per se stare potest, etsi alia duo nõ essent: est Regnũ Minerale, Vegetabile & Animale: Minerale p se subsistere potest, etsi nullus hominum in mundo esset, nec arbor vel herba: Vegetabile itidẽ etiamsi nullum metallum nec animal esset per se stare potest, hæc duo sunt

ex vno per vnum creata: tertium vero ex dictis duobus vitam habet, ſine quibus eſſe non poſſet, & eſt nobilius ac præſtantius, quam duo prædicta, ſicuti etiam poſtremum eſt inter illa, & dominatur eis, quia ſemper in tertio virtus finitur, & in ſecundo multiplicatur. Viden' in vegetabili regno: prima materia eſt herba vel arbor, quam tu creare neſcis, natura ſolummodo hoc facit: in hoc regno ſecunda materia eſt ſemen, quod tu vides, in hoc multiplicatur herba vel arbor. In regno animali prima materia eſt beſtia vel homo, quem tu creare neſcis, ſed ſecundam materiam, vel ſperma tu noſti, in quo multiplicatur homo. In regno minerali metallum tu creare neſcis, & ſi gloriaris vanus es & mendax, natura hoc fecit & quãuis haberes primam materiam ſecundum Philoſophos, illud ſal centrale tamẽ ſine auro multiplicare impoſſibile tibi foret: ſemen autem metallorum, filii tantũ doctrinæ nouerunt. In vegetabilibus

ſemi-

ſemina apparent extra, renes digeſtionis eius eſt aer calidus: in animalibus ſemen apparet intus & extra, renes digeſtionis eius ſunt renes viri: aqua in mineralibus ſemen eſt in centro cordis eorum & vitæ: renes digeſtionis eius eſt ignis. Vegetabilis ſeminis receptaculum eſt terra: animalis ſeminis receptaculum eſt matrix fœminæ. Aquæ mineralis ſeminis receptaculum eſt aer: & ea ſunt ſeminum receptacula, quæ ſunt congelationis corporum: ea eſt digeſtio quæ ſolutio: ea putrefactio quæ deſtructio. Virtus autem cuiuſque ſeminis eſt, vnicuique rei in ſuo regno ſe coniungere, quia ſubtile eſt, & nihil aliud quā aer, qui pinguedine in aqua congelatur: cognoſcitur ita, quia non miſcet ſe extra ſuum regnum naturaliter alicui rei, non ſoluitur ſed congelatur, quia ſolutione non indiget, ſed congelatione: neceſſe eſt ergo, vt pori corporum aperiantur, vt emittatur ſperma, in cuius centro ſemen iacet, quod aer eſt, illud quando

in matricem venit debitam, congelatur & congelat, quod reperit, purũ vel impurũ puro mixtũ. Quamdiu in corpore semẽ est, viuit corpus, quãdo totũ cõsumitur, corpus moritur, omnia autem corpora post emissionem seminis debilitantur: experientia etiam testatur, homines Veneri nimium indulgẽtes debiliores fieri, vt & arbores nimios fructus ferentes, fieri postea steriles. Semẽ igitur, vt iam multoties repetitũ est, res est inuisibilis, sed sperma est visibile, & fere est anima viuens, non inuenitur in rebus mortuis: elicitur dupliciter, suauiter & cũ violentia, sed q̃a hic de virtute eius saltẽ sermo est, dico ꝙ nil sine semine nascatur, virtute seminis fiunt omnia, & sciant artis filii in arborib. amputatis frustra semẽ quæri, quod solũmodo in viridib. reperitur.

Cap. IIX.

De arte & quomodo per artem operatur natura in semine.

OMne semen per se nullius momenti

menti est, si nõ ponatur, vel ab arte, vel a natura in matricẽ debitã, & licet semẽ ꝑ se nobilius sit omni creatura, tamen matrix eius est vita, q̃ facit putrescere sperma vel granũ, & puri puncti cõgelationem caussatur, insuꝑ calore corporis sui illud nutrit & crescere facit: & hoc fit in omnib. supradictis trib. naturæ regnis: & fit naturaliter, ꝑ mõses, annos & tẽpora. Sagax vero ars illa est, quæ in regno minerali & vegetabili aliq̇d abbreuiare potest, sed non in animali: in minerali solummodo ꝑficit hoc, q̶ natura nõ potest, ꝓpter aerem crudum, q̃ sua violẽtia impleuit poros corporis cuiusq;: non in visceribus, sed in superficie terræ, vt antea in præcedentibus capitulis dixi: sed vt facilius intelligatur hoc, adhuc adiungere volui, quod elementa certanter inter se proiiciunt in centrum terræ, quasi in renes semen suum: centrum vero per motum emittit illud in matricem, matrices vero sunt innumerabiles, quot loca tot matrices, vna purior altera,

& sic in infinitum fere. Scias ergo, quod pura matrix, purum dabit fœtũ in suo simili: exempli gratia, in animalibus sunt matrices hominum, vaccarum, equorum, canum, &c. Sic in minerali & vegetabili sunt metalla, lapides, salia: nam salia in hisce duobus regnis sunt considerãda, & loca eorum, secundum magis vel minus.

Cap. IX.

De commixtione metallorum vel de eliciendo semine metallico.

DIximus de natura, de arte, de corpore & de spermate ac semine: iam ad praxin descendamus, quomodo videlicet metalla commiscere debeant, & qualis eorum sit inter se correspondentia: scias ergo mulierem nõ discrepare a viro, ex eodem semine, & in vna matrice ambo nascuntur, nihil defuit præter digestionẽ, & vt matrix purior esset in sanguine & sale: sic luna ex eodem semine cum sole & eadem matrice: sed matrix magis habuit de aqua,

qua, quam de ſanguine digeſto, ſecundum tempus lunæ cœleſtis. Vt vero eo facilius tibi imaginari poſſis, quomodo metalla coeant, vt emittant & recipiant ſemen, intuere cœlum & Planetarum ſphæras: vides quod Saturnus ſupremus ſit, cui ſuccedit Iupiter, huic Mars, poſtea Sol, quem ſequitur Venus, hāc Mercurius, vltimo loco Luna ſtatuitur: conſidera iām, quod Planetarum virtutes non aſcendant, ſed deſcendant: dedit hoc & ipſa experientia, quod ex Venere non fit Mars, ſed ex Marte fit Venus, vtpote vna ſphæra inferior, ſic etiam Iupiter facile tranſmutatur in Mercurium, quia Iupiter ſecundus a firmamento, & Mercurius ſecundus a terra: Saturnus primus a cœlo, Luna prima a terra. Sol miſcet ſe omnibus, ſed nunquam per inferiores melioratur. Non autem te lateat, magnam eſſe correſpōdentiam inter Saturnum & Lunam, quorum in medio Sol conſtitutus eſt, ſicuti inter Iouem & Mercurium, in quorum medio

ſol etiam conſiſtit: eodem plane modo inter Martem & Venerem, qui duo ſolem etiam habent intermedium. Nouerunt chymiſtæ ferrum in Cuprum ſeu Venerem ſine ſole mutare: nouerunt etiam e Ioue facere Mercurium: ſunt & aliqui, qui e Saturno cõficiunt Lunam: ſed ſi ſcirent his mutationibus ſolis adminiſtrare naturam, certe rem omni Theſauro inuenirent pretioſiorem: propterea dico, non ignorandum eſſe, quæ metalla inuicem ſint coniungenda, & quorum natura naturæ correſpondeat: propterea vnum datur metallum, quod habet potentiam alia conſumendi: eſt enim fere vt aqua eorum, & fere mater: vnica tantum res, humidum radicale, ſolis videlicet & lunæ reſiſtit ei, & melioratur per illud: ſed vt detegã, chalybs vocatur, ſi vndecies coit aurũ cum eo, emittit ſuum ſemen, & debilitatur fere ad mortem vſque, concipit calybs, & generat filium patre clariorem, poſtea cum ſemen iam nati im-
ponitur

ponitur in ſuam matricem, purgat illam & facit milleſies aptiorem ad pariendum optimos fructus. Eſt & alius chalybs, qui aſſimilatur huic, per ſe a natura creatus, qui ſcit ex radiis ſolis mirabili vi & virtute elicere illud, quod tot homines quæſierunt & operis noſtri principium eſt magnum.

Cap. X.

De generatione ſupranaturali filii ſolis.

TRactauimus de rebus, quas natura creat, & quas Deus creauit, vt ſcrutatores artis eo facilius poſſibilitatem naturæ intelligerent, ſed ne diutius differam, modum ac artem conficiendi lapidis Philoſophorum aggredior. Lapis Philoſophorum ſeu tinctura nil aliud eſt, quam aurum in ſupremum gradum digeſtum: nam aurum vulgi eſt ſicut herba ſine ſemine, quando matureſcit producit ſemen: ſic aurum quãdo matureſcit dat ſemen ſeu tincturam. Sed quæret

aliquis, quare aurum vel aliud metallũ non producat semen? ratio redditur talis, quia non potest esse maturum, propter aeris cruditatem, non habet sufficientem calorem, & contingit in quibusdam locis, vt reperiatur aurum purum: quod natura voluit perficere, sed impedita fuit ab aere crudo, exẽpli gratia, videmus, quod pomorum Arantiorum arbores hic quidem crescant instar aliarum arborum. In Italia & alibi, vbi est illarum solum natiuum, dant & ferunt fructus, quia sufficientem habent calorem, in his vero frigidioribus locis minime: vbi enim maturescere deberent, desinunt, quia frigore opprimuntur: & sic nunquam a natura in hisce locis habentur earũ fructus, licet aliquando iuuetur natura suauiter & cum ingenio, tunc ars iã perficit, quod natura non potuisset. Idem plane in metallis accidit. Aurum potest dare fructum & semen, in quo se multiplicat industria sagacis artificis, qui scit naturam promouere: sed si

absque

absque natura id velit tentare, errabit: nam non solum in hac arte, sed & in omni re, nihil possumus, quam naturã iuuare, & hoc non alio medio, quam igne seu calore: sed cum hoc fieri non possit, siquidem in congelato corpore metallico non appareant spiritus, oportet vt prius soluatur corpus, & pori eius aperiantur, quo natura operari possit: qualis autem illa debeat esse solutio, hic lectorem admonitum velim, duplicem esse solutionem, licet multæ sunt aliæ solutiones, at inutiles: vna tãtum est vera naturalis: secunda est violenta, sub qua aliæ comprehenduntur omnes: naturalis eiusmodi est, vt pori corporis aperiantur in aqua nostra, quo digestum emittatur semẽ, & matrici suæ imponatur: aqua vero nostra aqua est cœlestis, non madefaciens manus, non vulgi sed fere pluuialis: corpus est aurum, quod semẽ dat. Luna nostra est, (non argentum vulgi) quæ recipit semen auri: regitur postea igne nostro continuo, per menses se-

ptem, & interdum decẽ, donec aqua nostra consumat tres, & relinquat vnum, & hoc in duplo: postea nutritur lacte terræ, vel pinguedine eius, quæ nascitur in vberibus terræ & regitur vel conseruatur a putrefactione, sale naturæ: & sic generatur ille infans secundæ generationis. Nunc a theorica ad praxin accedamus.

Cap. XI.

De praxi & confectione lapidis seu tincturæ per artem.

PEr tot capita sparsa est oratio de rebus per exempla, vt eo facilius intelligatur praxis, quæ fieri debet naturam imitando in hunc modum. ℞. Terræ nostræ per XI. gradus XI. grana auri nostri, & non vulgaris granum I. lunæ nostræ non vulgaris grana II. sed hoc admonitus sis ne accipias aurum & argentum vulgi, nam hæc sunt mortua, accipe nostra, quæ sunt viua, postea pone in ignem nostrum,

trum, & fiet inde liquor ſiccus, primùm reſoluetur terra in aquam, quæ Mercurius Philoſophorum dicitur, & illa aqua reſoluit illa corpora Solis & Lunæ, & conſumit ea, vt non remaneat niſi pars decima cum vna parte, & hoc erit humidum radicale metallicum: poſtea ℞. aquam ſalis nitri de terra noſtra, in qua eſt riuulus & vnda viua, ſi ad genuam foderis foueam: accipe igitur ex illa aquam ſed claram accipe, huic impone illud humidum radicale, & impone igne putrefactionis & generationis, non tale, vt in prima operatione feciſti, rege omnia magno cum ingenio, donec colores appareant, inſtar caudæ pauonis, rege digerendo, nec te tædeat, donec ceſſent colores, & vnus per totum appareat color viridis, & ſic de ceteris; & quãdo videbis in fundo cineris pruni coloris, & aquã fere rubrã, aperito vas, madefacito pennam, inunge ferrũ aliquod, ſi tinget habeto in promptu aquam, de qua poſtea erit ſermo, &

. 3 ptes decimæ cũ tribus.

infunde tantum eius aquæ, quantum æris intrauit crudi, iterum coquito priori igne, donec iterum tingit. Hucvsq; peruenit mea experientia, non plus possum, non plus inueni. Aqua vero illa debet esse menstruum mundi ex sphæra lunæ, toties reddificatũ, quod possit calcinare solem. Hic tibi omnia volui detegere, & si sensum meum interdum non syllabam intelliges, cũcta reuelaui, præsertim in opere primo & secundo. De igne vero adhuc dicendum restat. Primus ignis seu primæ operationis est ignis vnius gradus continuus, qui materiam circumdat: secundus est ignis naturalis, qui materiã digerit & figit. Dico tibi veritatem, ꝙ patefeci ignis regimen, si naturam intelligis. De vase adhuc restat loquendum. Vas naturæ esse debet, & sufficiunt duo: primi operis vas rotundum fieri debet: in secundo vero paulo minus vitrum instar violæ & oui. Sed per omnia scito, naturæ ignem esse vnicũ, quicquid operatur diuersum, locorũ distan-

istantia efficit. Vas item naturę vnicum, ſed nos propter abbreuiationem ...inis vtimur: materia vna, ſed ex duabus ſubſtantiis. Si igitur animum intendis ad res creandas, conſidera primum res creatas: has vtpote obuerſantes oculis tuis, ſi non potes aſſequi, multo minus res creandas, quas producere cupis, ſcito enim te nihil creare poſſe, quod ſolius Dei proprium eſt, ſed res occultas in vmbra latentes facere apparentes, & vmbram ab illis tollere, hoc Philoſopho intelligenti à Deo per naturam conceſſum eſt: conſidera obſecro ſimplicem nubis aquã: ecquis vnquam crederet, illam in ſe continere omnia, quæ mundus habet, lapides duros, ſalia, aerem, terram, ignem, cum tamen ſimplex per ſe appareat aqua: quid dicam de terra, quæ in ſe continet aquam, ignem, ſalia, aerem, & per ſe nuda terra videtur. O mirabilem naturam! quæ nouit ex aqua in terra fructus producere mirabiles, & ex aere illis ſuppeditare vitam:

hęc omnia fiunt & vulgarium hominum oculi iſta nō vident, ſed oculi intellectus & imaginationis percipiunt, viſu vero, veriſſimo: oculi enim ſapiētum naturam vident aliter, quā oculi cōmunes. Exempli gratia; oculi vulgi vident ſolem eſſe calidum: oculi vero Philoſophorum e contra vident ſolē potius eſſe frigidum, ſed motus eius calidos: actus enim & effectus eius per diſtantiam locorum deprehendūtur; ignis naturæ vnus & idē cum ipſo eſt; ſicuti enim ſol inter ſphæras planetarum centrum eſt, & ex hoc centro cœli deorſum calorem motu ſuo ſpargit: ſic in centro terræ ſol terra eſt, qui motu ſuo perpetuo calorē vel radios ſurſum ad terrę ſuperficiem pellit: is calor intrinſecus multo efficacior eſt hoc igne elementali, ſed temperatur terrena aqua, quæ de die in diem poros terræ penetrat illamque refrigerat: ſic ſolem cœleſtem & eius calorem temperat aer, qui de die in die circumuolat orbem, & niſi hoc eſſet, calore tali

res

res omnes consumerentur nec quicquam nasceretur. Sicuti autem ignis ille inuisibilis, seu calor centralis omnia consumeret, si non intercederet aqua: sic solis calor omnia destrueret, sine intermediante aere. Sed quomodo hæc elementa inter se agant, breuibus dicã. In centro terræ, est sol cẽtralis, qui motu suo vel sui firmamẽti dat calorẽ magnum, qui extendit se vsq; ad terræ superficiẽ. Ille calor caussatur aerem, hunc in modum: aeris matrix aqua est, quæ parit filios suæ naturæ, sed dissimiles & multo subtiliores: nam vbi aquæ introitus est denegatus, aer intrat, quando postea ille calor centralis, qui perpetuus est, agit, facit destillare aquam & calefacere, & sic illa aqua vi caloris vertitur in aerem, atque hoc pacto erumpit ad superficiem terræ, quia se includi non patitur vbi postea refrixit, resoluitur in aquam in oppositis locis: interim etiam fit, vt non solum aer, verum etiam aqua exeat, sicuti

apparet, dum nigræ nubes violentia in aerem attoluntur: cuius rei tibi sit hoc exemplum domesticum, facies in olla feruere aquam, videbis igne lento, lẽtos vapores & ventos: igne vehementiori apparebunt nebulæ crassiores; eodem plane modo calor operatur centralis, subtilem aquam in aerem eleuat, quod spissum est ex sale vel pinguedine distribuit terræ, vnde res variæ nascuntur: residuum saxa & petræ fiunt. Posset aliquis obiicere, si ita se res haberet, tunc continue id fieri deberet, cum tamen sæpe nullus sentiatur ventus: Respondeo si non violenter in vas distillatorium infunditur aqua, non fit ventus, nam parum aquæ paruum excitat ventum: vides non semper fieri tonitrua, etiamsi pluuia sit & ventus, sed tantum, quando vi aeris aqua turbida fertur ad sphæram ignis, nam ignis non patitur aquam: Habes ante oculos exemplum, dum in calidam fornacem effundis aquam frigidam, vnde tonitrua excitantur: sed

quare

quare non vniformiter aqua intret in illa loca & cauitates, ratio eſt: quod multa ſunt eiuſmodi vaſa & loca, pellit interdum vna concauitas ventos, & aquam a ſe ad aliquot dies & menſes, donec iterum fiat aquæ repercuſſio, vt videmus in mari, cuius fluctus aliquando multa milliaria agitantur, antequã repercuſſionem, vt regrediantur, offendant. Sed ad rem noſtram. Dico ignem vel calorem eſſe cauſſam motus aeris & vitam omnium rerum, & terra eſt horum omnium nutrix vel receptaculum; ſed ſi non eſſet aqua, quæ refrigerat terram & aerem noſtrum, tunc terra exſiccaretur, propter has duas rationes, nimirum ob motus centralis & ſolis cœleſtis calorem: nihilominus contingit hoc in aliquibus locis, quando pori terræ obſtruuntur, & humidum penetrare non poſſit, tũc per correſpondentiam ſolis cœleſtis & centralis, quia vim habent inter ſe magneticam, accenditur terra a ſole, ſicque etiam aliquando cades grauis

orbita mundi. Fac igitur, vt operatio talis in terra nostra sit, vt calor cẽtralis aquam possit mutare in aerẽ, vt in planitiem mundi egrediatur, & residuũ, vt dixi, per poros terræ spargat, & tunc in opposito aer vertetur in aquã multo subtiliorẽ, quam fuit prima, & hoc sic fiet. Si seni nostro aurũ & argentũ deglutire dabis, vt ipse consumat illa, & tandẽ ille etiam moriturus comburatur, & cineres eius spargantur in aq̃, coquito ea, donec satis est, & habes medicinam curandi lepram. Hoc saltem animaduerte, ne frigidum ꝑ calido, vel calidũ pro frigido accipias. Naturas naturis misce, si aliquid est, quod contrarium naturæ (siquidem vna tibi est necessaria) separa illud, vt natura naturæ similis sit, hoc fac igne non manu, & scito, si non sequeris naturã, vana esse omnia, & sic tibi dixi per Sanctum Deum quod pater filio debet. Qui habet aures, audiat, & qui sensus habet, animum aduertat.

CAP. XII.

De lapide & eius virtute.

IN præcedentibus ſufficienter dictũ fuit, de productione rerum naturalium, de elementis, & de materia prima & materia ſecunda, de corporib. & ſeminibus, de vſu & virtute eorum: cõſcripſi etiam praxin conficiendi lapidem Philoſophorum: de eius vero virtute tantum, quantum mihi natura conceſſit & experientia patefecit, nunc reuelabo. Sed vt prius adhuc ſummatim & breuibus verbis cõprehendam omnium horum capitum argumentum, vt Deum timens lector, mentem meam aſſequatur & ſenſum meum; ita ſe res habet. De veritate artis, ſi quis dubitat, legat copioſa Philoſophorum antiquiſſimorum ratione & experientia verificata ſcripta, quibus vt fide dignis in ſua arte fides non deneganda eſt: Qui vero illis fidem non adhibet, tunc contra principia negantem non eſſe diſputandũ

nouimus: surdi enim & muti loqui nõ possunt. Dixi artem esse veram. Quã enim prærogatiuam in hoc Mundo res omnes haberent præ metallis? cur hæc sola per denegationem seminis immerito a summi creatoris vniuersali multiplicationis benedictione excludemus, quam sacræ literæ affirmãt, omnibus rebus creatis statim a condito mundo inditam & impertitam fuisse. Si vero semen habent, quis tam fatuus est, qui non credat, in suo semine illa posse multiplicari? in natura sua ars chymiæ vera est, vera etiã natura, sed raro verus artifex: vna natura, ars vna, sed multi artifices. Quod autem natura creat res ex elementis, generat eas per velle Dei, ex materia prima, quam solus Deus scit, natura creat res, illasq; multiplicat ex secunda materia, quam Philosophi sciunt. Nil fit in Mundo, sine velle Dei, & naturæ. Elementum enim quodlibet in sua sphæra est, sed vnum absque altero esse non potest, vnum ex alio viuit, & tamen

men

men coniuncta non conueniunt: ſed aqua eſt omnium elementorum dignior, quia mater eſt omnium rerum: hanc ſupernatat Spiritus ignis, cauſſante igne aqua fit materia prima, certatione videlicet ignis cum aqua, & ſic generantur venti vel vapores apti, vt congelentur cum terra vel per aerem crudum, qui ab initio ſeparatus fuit ab illo, & hoc fit ſine ceſſatione motu perpetuo, quia ignis ſiue calor non excitatur aliter niſi motu, quod facile videre eſt apud fabrum ferrarium, lima ferrum comminuentem, quod eatenus motu vehementiori incaleſcit, ac ſi igne incãduiſſet: motus ergo cauſſat calorẽ, calor mouet aq̃, motus aquę cauſſat aerem omnium viuentium vitam: creſcunt igitur res hunc in modum, vt ſupra dixi, ex aqua videlicet, nam ex illius vapore ſubtiliori, res ſubtiles leues proueniunt: ex oleo vero eiuſdem, graues & maioris pretii: ex ſale autẽ res prioribus longe pulchriores: quia autem natura interdum im-

peditur, ne res adeo duras producere possit, siquidē vapor, pinguedo, sal maculātur & miscēt se terrę locis, ꝓpterea docuit nos experientia purū ab impuro separare: ideo si velis, vt natura melioretur in actu, solue corpus quoduis, & illud quod naturæ accessit heterogeneum, separa, purga, coniunge pura puris, cocta coctis, cruda crudis, secundum naturæ pondus non materiæ: nam scito, quod sal nitri centrale non accipit plus de terra, nisi quantū opus habet, siue sit pura vel impura. Aquæ vero pinguedo aliter se habet, ná nunquam habetur pura, ars purgat illam per duplicem calorem, & denuo coniungit illam.

EPILOGVS SEV CONCLVSIO *horum duodecim Capitum.*


CONscripsi, amice Lector, præcedentia duodecim capita in gratiam filiorum artis, vt antequam manus adhiberent operi, naturæ operationem haberent cognitam, quo-

quomodo videlicet illa operando res producat, ne ſine clauibus portam ingrederentur, & cribro aq̃ haurirent. Fruſtra n. laborat ille, q ſine cognitione naturæ manus ad labores porrigit in hac ſancta & veriſſima ſcientia: in nocturnis verſatur tenebris, cui ſol nõ lucet: in denſa vmbra eſt, cui de nocte non apparet Luna. Habet natura lumen proprium, quod noſtris oculis nõ eſt peruium: vmbra naturæ oculis noſtris corpus eſt, ſed ſi quem lumen naturæ irradiat, illi confeſtim nebula de oculis tollitur, & ſine impedimẽto poteſt cõſpicere punctum magnetis noſtri, correſpondentis vtriq; centro radiorũ, ſolis videlicet & terræ: eouſq; n. naturæ lumen penetrat & interna patefacit: cuius rei tale tibi ſit exẽplũ: Induatur veſte vniformi adoleſcẽs duodecim añorum & puella eiuſdẽ ætatis. Si iuxta ſe locentur, nemo cognoſcet, quis maſculus, quæ fæmella ſit, oculi enim noſtri penetrare non poſſunt, ideo decipit nos noſter, viſus & falſa

pro veris accipit; ſed cum veſtibus ſublatis denudantur, vt ita appareant quales natura eos formauit, facile vterque ſuo dignoſcitur ſexu: ſimili plane modo noſter intellectus facit vmbræ, naturæ vmbram: nam corpus nudum in homine eſt ſeminis naturę vmbra: ſicuti igitur veſtimentis tegitur corpus humanum, ſic etiam tegitur corpore natura humana, quam ſibi Deus reſeruauit tegendam & detegendam: poſſem hic prolixe & Philoſophice diſſeterere de hominis dignitate, creatione eius, & generatione, ſed cum eiuſmodi non ſint huius loci, ſilentio prætereunda ſunt: de vita eius ſolummodo paucis agam. Creatus homo de terra, ex aere viuit: eſt enim in aere occultus vitæ cibus, quem nos rorē de nocte, de die aquam vocamus rarefactā, cuius ſpiritus inuiſibilis cōgelatus melior eſt, quam terra vniuerſa. O ſancta & admirabilis natura, quæ filios doctrinæ errare non permittis, ſicuti in vita humana in dies demonſtras. Por-

ro in

o in hiſce duodecim capitibus tot ra-
iones naturales in medium attuli, vt
o facilius cupiens & Deum timens
ector, intelligere poſſit ea omnia, quæ
oculis meis Deo benedicēte vidi, ma-
nibus feci propriis; ſine vlla Sophiſti-
cationis fraude: ſine lumine enim &
cognitione naturæ impoſſibile eſt,
hanc aſſequi artem, niſi ſingulari re-
uelatione diuina alicui contingat, vel
per ſecretam amici demonſtrationē.
Res eſt vtilis & pretioſiſſima; quā ali-
quoties deſcriptam, nunc denuo re-
peto. ℞. Aeris partes X. auri viui
vel lunæ viuæ partem I. hæc omnia
impone vaſis duobus coque aerē hunc duplici
in primis vt ſit aqua, & poſtea nō aqua,
ſi hoc ignoras, & aerem coquere ne-
ſcis, ſine omni dubio errabis, ſiquidem
hæc eſt veterum Philoſophorum ma-
teria, id enim accipere debes, quod
eſt, ſed non videtur donec artifici pla-
ceat; eſt aqua roris noſtri ex qua extra-
hitur ſal petrę Philoſophorum, quo o-
mnes res creſcunt & nutriuntur; ma-

trix eius eſt centrum Solis vel Lunæ tam cœleſtis quam terreſtris: & vt apertius dicam, magnes eſt noſter, quem in præcedentibus chalybem eſſe dixi: aer generat magnetem: magnes vero generat vel facit apparere aerem noſtrum: Sanctè tibi veritatem hic manifeſtaui, roga Deum, vt cæpta tua ſecundet; & ſi hoc loco habebis veriſſimam explicationem Hermetis aſſeuerantis, patrem eius eſſe Solem, matrem vero Lunam, & quod ventus portauerit illum in ventre ſuo: nimirũ ſal alkali, quod Philoſophi ſal armoniacum & vegetabile nominarũt, occultatũ in ventre magneſiæ: operatio eius talis eſt, vt ſoluas congelatum aerẽ, in quo ſolues auri decimã partem, hoc ſigilla & igne noſtro labora, donec aer vertatur in pulueres, & apparebũt, habito mundi ſale, colores varii: deſcripſiſſem integrũ pceſſum in hiſce capitulis, ſed qa ille vna cum multiplicatione in Lullii & aliorum verorum Philoſophorum libris ſufficienter continetur,

retur, propterea satis mihi fuit, tantũ de materia prima & secunda tractare, ꝙ candide factũ est, nec arbitreris vllũ mortalium me luculẽtius illud pręstitisse, siquidẽ id non e mutis libris, sed ex mearum manuũ labore & propria experientia feci. Si igitur vel nõ intelligis, vel non credis veritati, noli meũ librum, sed te ipsum accusare, & crede Deum tibi hoc secretum nolle reuelare: hunc igitur precibus fatiga, & multoties reiteratis lectionibus hunc libellum euolue, pręsertim horum 12. capitum Epilogum, considerando semper naturæ possibilitatem & elementorũ actiones, & quodnam sit in illis præcipuum, & præsertim in rarefactione aquæ vel aeris: ita enim creati sunt cœli, & totus Mundus, hoc tibi sicut pater filio significare volui: ne mireris, quod tot capita scripserim, non mea caussa factum est, cum libris non egeam, sed vt multos, qui in vanis reb. laborant, monerem, ne frustra sumtus exponerent: potuissent quidem

omnia paucissimis cõprehendi lineis, imo verbis: sed per rationes & exempla volui te ad naturæ cognitionẽ deducere, vt ante omnia scires, q̃d quærere deberes, an primam vel secundã materiam. Haberes etiam patefactam naturam, eiusque lumen & vmbram: noli moueri, quod aliquando contradictoria in meis capitibus more Philosophorum vsitato, tibi occurrant: opus habes illis, si intelliges: non reperitur rosa sine spinis. Perpende diligenter, quod supra dixi, quomodo videlicet quatuor elementa stillent in centrum, terræ humidum radicale, & quomodo sol terrenus centralis motu suo ꝓducat & sublimet illud ad terræ superficiem. Dixi etiam solem cœlestem habere correspondentiã cum sole cẽtrali: nam sol cœlestis & luna peculiarem habent vim & virtutem stillandi per radios suos in terram, calor enim calori, sal sali facile iungitur: & sicuti Sol centralis habet suum mare & aquã crudam perceptibilem, sic sol cœlestis habet

habet etiam ſuum mare & aquam ſubtilem & imperceptibilem: in ſuperficie terræ radii radiis iunguntur, & producunt flores & omnia: propterea quando pluuia fit, accipit ex aere illam vim vitæ, & coniungit illam cum ſale, nitro terræ, (quia ſal nitri terræ eſt inſtar calcinati tartari, ſua ſiccitate aerem ad ſe trahens, qui aer in eo reſoluitur in aquam: talem vim attrahendi habet ille ſal nitri terræ, qui etiam aer fuit, & eſt coniunctus pinguedini terræ) & quo radii ſolares copioſius tunc feriunt, eo maior ſalis nitri quantitas fit, & per conſequens maior frumenti copia creſcit, & hoc de die in diem fit. Tantum de correſpondentia rerum inter ſe & efficacia Solis & Lunæ & Stellarum innuere volui ignorantibus: nam ſcientes non indigent hac inſtructione. Verſatur ſubiectum noſtrum toti Mundo ob oculos & non cognoſcitur. O cœlum noſtrum: o aqua noſtra:

o Mercurius noster: o sal nitri nostrū in mari mundi versans: o vegetabile nostrum: o sulphur nostrum fixum & volatile: o caput mortuum, seu fæces maris nostri: aqua manus non madefaciens, sine qua nemo mortalium viuere potest, & sine qua nihil nascitur: & generatur in toto orbe. Et hæc sunt auiculæ Hermetis Epitheta, quæ nunquam quiescit, vilissima est, nemo ea carere potest: & sic habes rem omni mundo pretiosiorem detectam, quã plane dico, nil aliud esse quam aquam nostram ponticam, quæ in Sole & Luna congelatur, & extrahitur e Sole & Luna chalybe, nostro artificio Philosophico miris modis, per prudentem artis filium. Consilium meum nõ erat ꝓpter rationes in pręfatione commemoratas hunc librũ publicare, attamẽ vicit me de liberalibus & Philosophicis ingeniis ꝓmerendi cupiditas, vt iis ꝗ me norunt, animũ ostenderẽ bonũ, simul illis, qui artem callent, manifestarem,

tarem, me illis parẽ eſſe & ſociũ, eorumq; notitiam appetere Nõ dubito, multos bonæ cõſcientiæ & voluntatis homines, illud donũ Dei clanculum poſſidere: hi meo admoniti exẽplo & meis periculis cautiores & prouidentiores facti, Harpocratis ſibi commẽdatum habeant ſilentium: quotieſcũque n. me magnatibus detegere volui, ſemper aut in damnũ aut periculũ mihi ceſſit. Hoc ſcripto me adeptis filiis Hermetis patefacto, & ignorantes ac errantes inſtruo ac in viam veram deduco. Credant ſcientiæ heredes, ſe numq̃ habituros meliorem viam, cui inſiſtant, quã quę ipſis hic demonſtrata eſt: omnia enim aperte dixi: extractionẽ ſaltẽ noſtri ſalis Armoniaci vel Mercurii Philoſophici, ex aqua noſtra pontica, eiuſq; tantum vſum non ita aperte reuelaui, quia a magiſtro naturæ non habui vlteriorem loquendi licentiam: & hoc ſolus Deus reuelarẽ debet, qui nouit hominum corda &

animos: quem ſi diligenter oraueris, per reiteratam huius libri lectionem, poterit tibi intellectum tuum aperire. Vas, vt ſupra dictum, vnicum eſt, a principio vſq; ad finem, vel ad ſummum duo ſufficiunt vaſa: ignis etiam continuus in vtroq; opere quo nomine legant, errantes caput X. & XI. Si in tertia materia operatus fueris nil efficies: hanc tractãt hi, qui extra hoc vnicum ſal noſtrum, quod Mercurius eſt, laborant in herbis, animalibus, lapidibus & mineris excepto ſole & luna noſtra, quæ obducta eſt ſphæra Saturni. Et qui optatum deſiderat finẽ, ſciat conuerſionem elementorum, & leuia facere ponderoſa, & ſpiritus facere non ſpiritus, tunc non laborabit in re extranea: ignis eſt regimẽ quicquid fit, vt ſufficienter in præcedentibus & hic concluſionis loco ſatiſdictum eſt. Vale Lector beneuole, & hiſce per experientiam meam verificatis laboribus, diu ad nominis diuini

glori-

gloriam, animæ tuę ſalutem, proximique commodum perfruere.

EIVSDEM AVCTORIS AD filios veritatis AEnigma Philoſophicum.



IAm vobis filii ſcientiæ, e ſcaturigine vniuerſalis fontis detexi omnia, vt nil ſit amplius reſiduum. Nam in præcedentibus meis capitibus naturam per exempla ſufficienter explicui: Theoricam & praxin, quantum fas fuit, manifeſtaui. Sed ne quis de Laconiſmo conqueri poſſit, quod aliquid omiſerim, totam artem ænigmatice adhuc vobis deſcribam, vt videatis, quouſque Dei ductu peruenerim: infiniti ſunt libri, de hac arte tractantes, vix in vllo reperietis veritatem eatenus vobis patefactã, quod ob cauſſam præſtare volui, quia cum multis Philoſophorum ſcripta ſe bene intelligere putantibus, ſermonẽ

cõtuli, ſed deprehendi illos eadẽ ſcripta lõge ſubtilius explicare, q̃ natura, quæ ſimplex eſt, reqrebat: imo omnia mea dicta veridica, ipſis ſemper alta ſapientibus videbantur vilia & incredibilia: aliquoties accidit, vt quibuſdam de verbo ad verbum artem inſinuarẽ, ſed nequaq̃ aſſequi potuerunt, nõ credentes aq̃ in mari noſtro eſſe, & tamẽ Philoſophi videri volebant: cum ergo verba mea oretenus dicta non potuerunt intelligere, nõ timeo (vti alii Philoſophi timuerunt) vt quis tam facile concipere poſſit, donum eſt Dei dico. Verum quidẽ eſt, ſi in ſtudio chymico requireretur ſubtilis ingenii perſpicacitas, & res eiuſmodi eſſet, vt ab oculis vulgi poſſet, conſpici, ſatis apta vidi illorũ ingenia ad indaganda talia: ſed vobis dico, vt ſitis ſimplices, & non nimiũ prudẽtes, donec arcanũ inueneritis, quo habito, neceſſario aderit prudentia, tunc vobis nõ deerit, libros infinitos ſcribendi facultas, quod longe fa-

ge fa-

ge facilius erit illi, qui in centro est & rem videt, quam huic, qui in circumferentia ambulat, & nil præter auditũ habet: omnium rerum materiam secundam lucidissime descriptam habetis, sed hanc vobis cõmendo cautelam, quod si ad arcanũ hoc peruenire volueritis, scitote, quod in primis Deus orandus, postea ꝓximus amandus sit: deniq; nolite vobis res adeo subtiles imaginari, de quibus natura nil scit, sed manete, manete inquam in via naturæ simplici, quia in simplicitate rẽ citius palpare, quam eandem in subtilitate videre poteritis: nolite in lectione meorũ scriptorũ semper inhærere syllabis, sed legendo vtiq; considerate naturã, & eiusdẽ possibilitatẽ. Anteq̃ vero ad opus vos accingatis, imaginamini diligẽter quid quæratis, & quis sit intẽtionis vestræ scopꝰ ac finis: nã multo melius est cerebro & imaginatione prius discere, q̃ manu & sumtib. Et hoc vobis dico, quod opus est rẽ quærere

aliquam, quæ occulta eſt, ex qua fit (miro modo) talis humiditas quæ aurum ſine violentia ſeu ſtrepitu ſoluit: imo ita ſuauiter & naturaliter, ſicuti glacies aquæ calidæ beneficio liqueſcit: ſi hoc inueniſtis habetis rem, ex qua aurum a natura productum eſt. Et quamuis omnia metalla & res omnes ex illa ortum habeant, nil tamen ita amicatur ei, ſicut aurum, nam aliis reb. adhæret impuritas, auro autem nulla, propterea inſtar Matris eſt ipſi: & ſic finaliter cõcludo, ſi hiſce meis ſcriptis & admonitionibus cauti eſſe non vultis, habetote me, bene de vobis mereri cupientem, excuſatum, feci fideliter, quantum licuit, ſicut bonæ conſcientiæ virum decet: ſi quæritis quis; coſmopolita ſum: ſi me noſtis, & boni ac honeſti viri eſſe deſideratis, tacebitis: ſi me non noſtis, nolite de me inquirere, nulli mortalium enim, quã diu vixero, plus a me reuelabitur, quã hoc publico ſcripto factum eſt: credite mihi

te mihi si non essem eiusmodi status ac conditionis homo, sicut sum, nil mihi solitaria vita foret iucundius, vel cum Diogene sub dolio delitescere: video enim omnia quæ sunt, vanitatem esse, fraudem & auaritiam inualuisse, vbi omnia venalia sunt, & iniquitatem virtutem superasse. Futuræ vitæ meliora quæ oculis video, hisce gaudeo: iam non miror vt antea feci, cur Philosophi habita tali medicina non curarunt abbreuiare dies suos, qa omni Philosopho ita est præ oculis vita sequens, sicuti in speculo apparet tibi tua propria facies: quod si tibi Deus dabit optatum finem, postea credes mihi, nec te reuelabis mundo.

SEQVITVR PARABOLA SEV ænigma Philosophicum, coronidis & superaddidamenti loco adiunctum.



EVenit aliquando, cum per tot annos vitæ meæ nauigarem a

polo arctico ad polum antarcticum, vt singulari Dei nutu eiicerer ad littus magni cuiusdam Maris: & licet maris illius mundi aditus & proprietates optime cognitas & perspectas haberem, nihilominus inscius fui, an etiam in illis oris generaretur pisciculus ille Echeneis, quem tot magnæ & paruæ conditionis homines hactenus tam sollicite quæsierunt. Dum autem in littore Melo ynas hinc inde natantes cum Nymphis conspicio, fessus etiam a præcedentibus laboribus, & cogitationibus variis grauatus, ab aquarum murmure somno corripior: & dum suauiter obdormisco, occurrit mihi in somnis visio mirabilis: video e mari nostro venerandæ canitiei Senem Neptunum cum tridente egredientem, qui me post amicam salutationem in Insulam deducit amœnissimam. Hæc insula pulcerrima versus austrum sita erat, ac rebus omnibus ad hominis necessitatem, & ad eiusdé delitias

delitias ſpectãtes refertiſſima: Virgilii campus elyſius vix cũ illa potuiſſet cõparari. Totũ Inſulæ littus, vndiq; virẽtibus myrtis, cupreſſis ac rore marino cinctum erat. Prata virentia variegatis floribus tecta, iucundiſſimo aſpectu, ſuauiſſime redolebant. Colles vineis, oleis & cedris miro modo decorati erant. Nemora arantinorũ & limoniorũ arborib. referta: viæ publicæ laurorũ ac granatorũ arborib. ſingulari artificio intertextis, vtrinq; conſitæ, gratiſſimam peregrinantibus præbebant vmbram. Vt paucis dicã, quicquid in toto mũdo eſt, ibidẽ videbatur: Inter ambulandũ monſtrabantur mihi a dicto Neptuno ſub aliqua rupe latentes duæ illius Inſulæ mineræ auri & chalybis. Non longe illinc deducor ad pratum, in quo peculiaris hortus variis & ſpectatu digniſſimis arboribus plantatus erat: inter complures arbores autem oſtendit mihi ſeptem arbores nominib. inſignitas, ac inter has duas

præcipuas, aliis eminentiores obſeruaui, quarum vna ferebat fructum inſtar ſolis lucidiſſimi & fulgentiſſimi, & folia eius erant inſtar auri: altera vero producebat albiſſimos liliis candidiores fructus, & folia eius erant ſicuti argentum viuum. Vocabantur autem hæ arbores a Neptuno vna ſolaris arbor & altera lunaris. Et quamuis in hac inſula omnia ad nutum eſſent, vnicum tamen ipſi deerat, aqua non habebatur, niſi magna cum difficultate: erant quidam multi, qui partim tentabant illuc aquam fontis per canales deducere, partim etiam ex variis rebus eliciebant, ſed fruſtraneus erat attentatus labor, quia illic locorum nullo poterat haberi medio: & ſi habebatur, inutilis tamen fuit & venenoſa, niſi e radiis ſolis vel ☽ quod pauci præſtare potuerunt, & qui in hoc perficiendo, nunquam vltra decem partes potuit attrahere. Erat enim eiuſmodi aqua mirabilis,

abilis, & crede mihi, quod oculis
neis viderim & palparim aquæ illi-
s niueum candorem, & dum illam
quam contemplarer valde miratus
ım: interim fatigatus illa conſidera-
ione, euanuit coram oculis meis
Neptunus, & apparet mihi vir ma-
gnus, cuius fronti nomen Saturni e-
rat inſculptum. Hic accepto vaſe
hauriebat aquæ partes decem, & ſta-
tim de fructu arboris ſolaris accepit,
& impoſuit, & vidi fructum arbo-
ris conſumi, & reſolui inſtar glaci-
ei in aqua calida: quæſiui ex illo,
Domine, video rem mirabilem, a-
quam eſſe fere ex nihilo, video fru-
ctus arboris in illa, adeo ſuaui calo-
re conſumi, at quid iſta? At ille mi-
hi gratioſe reſpondit: fili mi verum
eſt, quod res hæc eſt mirabilis, ſed
ne mireris, ita enim oportet eſſe:
Nam hæc aqua eſt aqua vitæ, habens
potẽtiam fructus arboris huius ita me-
liorare, vt poſtea non plantatione ſeu

insitione sed solo suo odore faciat sibi ceteras sex arbores vniformes.

Insuper hæc aqua est huic fructui instar fœminæ, in re nulla possunt arboris huius fructus putrefieri, nisi in hac aqua: & licet fructus per se sit mirabilis, & res pretiosa, attamen si in hac aqua putrescit, gignit ex hac putrefactione Salamandram in igne perseuerantem, cuius sanguis omni thesauro pretiosior est: habent facultatē sex arbores, quas hic vides, fertiles reddere, illarumq; fructus melle dulciores proferre. At ego petii, domine, quomodo fit istud? dixi tibi, inquit, arboris solaris fructus esse viuos, dulces: at vbi nunc vnus saltem ex illo saturatur, quando in hac aqua coquitur, possunt postea mille ex eo saturari. Quæsiui porro, Domine: coquiturne igne forti & quamdiu? At ille, aqua ista habet intrinsecum ignem, & si iuuatur calore continuo, comburit tres partes corporis sui cum hoc corpore fructus, & non

non remanebit, nisi pars minutissi-
ma, quæ vix imaginari potest, sed in
summa virtute coquitur sagaci inge-
nio Magistri septem mensibus pri-
mo, postea decem: sed interea appa-
rent res variæ, & semper in die quin-
quagesimo plus vel minus. Adhuc in-
terrogaui: Domine, nonne potest et-
iam in aliis aquis coqui hic fructus, vel
additur ne illi aliquid? Respondit: non
est nisi hæc vna aqua, quæ vtilis est in
hac regione vel Insula: nulla etiam
alia aqua potest penetrare poros
huius pomi, nisi hæc, & scito arbo-
rem solarem etiam ex hac aqua or-
tam, quæ ex radiis Solis vel Lunæ vi
magnetis extracta est: propterea in-
ter se magnam habent concordan-
tiam: sed si aliquid peregrini ipsi
adderetur, non posset id præstare,
quod facit per se: Relinquenda igitur
per se, nihilque ei addatur nisi hoc po-
mũ. Post decoctionẽ enim est fructus
immortalis, vitam habẽs & sanguinẽ,

quia ſanguis omnes arbores ſteriles facit portare fructus eiuſdem naturæ cum pomo. Rogaui vlterius: Domine; hauritur ne aqua hæc alio modo vel habetur ne vbiq;? Et ille; in omni loco eſt, & nemo ſine ea viuere poteſt, hauritur miris modis, ſed iſta eſt optima, quæ extrahitur vi chalybis noſtri, qui inuenitur in ventre Arietis. Dixi; ad quid vtilis? Reſpondit; ante debitã coctionẽ eſt ſummũ venenũ, ſed poſt coctionẽ conuenientẽ ſumma eſt medicina, & dat viginti nouem grana ſanguinis, quodlibet autẽ granũ DCCC. LXIV. ſuppeditabit tibi fructus arboris ſolaris. Quæſiui; nonne vlterius meliorari poteſt teſte ſcriptura Philoſophica? ait, primum ad decẽ, poſtea ad centũ, deinde ad mille, & decẽ millia, &c. poteſt exaltari. Inſtabam: Domine mi: nouerunt ne multi iſtam aquam, & habetne nomẽ ꝓpriũ? Ille clamabat palam, dicẽs pauci nouerũt, ſed omnes viderũt, & vidẽt

& amant: Habet nomina ſed multa & varia; at nomen proprium eius eſt aqua maris noſtri, aqua vitæ non madefaciens manus, petii adhuc: vtunturne ea illi ad alias res? Vtitur ea, ait, omnis creatura ſed inuiſibiliter. Naſciturne in ea aliquid, interrogaui: at ille; ex ea fiunt res omnes in mundo & in ea viuunt, ſed in ea proprie nihil eſt, ſed eſt res, quæ ſe miſcet omni rei. Quæſiui: eſtne ſine hoc arboris fructu vtilis? ad hoc dixit, in hoc opere nequaquam. Siquidem non niſi in ſolo hoc arboris ſolaris fructu melioratur. Incepi adhuc rogare, Domine; quæſo nomina mihi illam tam manifeſto nomine, vt nullum poſſim amplius habere dubium: at ille ſublata voce ita clamauit, vt me e ſomno excitaret, ideo non amplius poteram quærere, nec ille vlterius reſpondere voluit, nec ego tibi plura dicere poſſum. Contentus eſto hiſce & crede, quod non eſt

possibile lucidius loqui: nam si hæc non percipis, nunquam aliorum Philosophorum libros assequeris. Post Saturni insperatum ac subitaneum discessum, nouus me sopor inuasit, & denuo mihi forma visibili apparet Neptunus: præsertim in hortis Hesperidum congratulatur Felicitatem, monstrando mihi speculum, in quo totam naturam detectam vidi: post varios vltro citroque commutatos sermones gratias ipsi pro exhibitis beneficiis ago, quod suo videlicet ductu, non solum hunc amœnissimum hortum ingressus fuerim, verum etiam in optatissimum Saturni colloquium venerim: sed quia propter improuisum Saturni discessum difficultates aliquæ quærendæ & inuestigandæ adhuc restarent, rogaui enixe, vt hac exoptata occasione mihi scrupulum eximeret. His autem verbis illum compello. Domine, legi libros Philosophorum affirmantium generationem

rationem omnem fieri per marem & fœminam, & tamen ſolum fructum arboris ſolaris vidi in ſomniis Saturnum Mercurio noſtro imponere, credo etiam tibi vt Domino maris huius, quod iſta bene ſcias, reſponde meæ quæſtioni quæſo? at ille, verum eſt, fili, omnis generatio fit in mari & fœmina: ſed propter diſtinctionem trium naturæ regnorum, alio modo naſcitur animal quadrupes, alio modo vermis. Licet enim vermes habeant oculos, viſum, auditum & reliquos ſenſus, tamen per putrefactionem producuntur, & eorum locus vel terra, in qua putrefiunt, fœmina eſt: ita in opere Philoſophico mater eſt huius rei, repetita toties illa aqua tua, & quicquid ex ea naſcitur, more vermium per putrefactionem naſcitur: ideo Philoſophi Phænicem & Salamandram vocarunt. Si enim e duorum corporum cõceptione fieret, eſſet res morti obnoxia: at quia ſe tantum reuiſi-

cat, destructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile: siquidem mors rerum nihil aliud est, quam separatio vnius ab altero: & in hac Phænice ita fit, quod se vita a corpore corruptibili per se separat. Insuper quæsiui: Domine mi; suntne diuersæ res rerum vel compositio in hoc opere? At ille: vnica res est, cui non miscetur aliquid aliud, præterquam aqua Philosophica tibi in somno aliquoties manifestata, quæ in decuplo esse debet ad vnam corporis partem: & firmiter ac indubitate credas fili, quæ per somnia in hac insula pro me regionis, tibi a me & a Saturno fuerunt patefacta, nullo modo esse somnia sed purissimam veritatem, quam experientia vnica rerum Magistra tibi Dei assistentia detegere poterit. Vlterius quærentem sine responso post valedictionem discedens, me a somno excitatum in desideratam Eutopiæ Regionem sistit. Et ita tibi etiam amice Lector,

ctor, satis hactenus a me dictum sufficiat. Vale.

Hiobi 28.

Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur.

FINIS.

FRANCOFVRTI



E Collegio Musarum Paltheniano.

Anno M. DCVI.

